

287

~~B. M. 6.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11A 287


SIGNAT. clv CCCXIII.

n. k.

12/3

111





COLLEGIUM
ETHICUM,

IN QVO

DE SUMMO HOMINIS BONO,
PRINCIPIIS ACTIONUM HUMANA-
RUM MENTE AC VOLUNTATE,

ITEM DE AFFECTIBUS SEU
APPETITIBVS:

UT ET

DE VIRTUTIBUS INTELLECTUALI-
BUS ET MORALIBUS TAM IMPERFECTIS,

Quam perfectis & perfectissimis, unâ cum virtutum
moralium effectis, amicitia videlicet & voluptate,
methodicè & perspicuè tractatur.

DE QUIBUS

PRÆSIDE ET AUCTORE

CHRISTIANO Stebenthal / MARCHICO,
U. J. D. ET IN INCLYTA ACADEMIA
GISSENA, QUONDAM ELOQUENTIÆ
PROFESSORE.

*Nobilissimi & Præstantissimi Viri - Juvenes, quorum
nomina singulis Disputationibus præfixa sunt
disputarunt.*

Cui accesserunt Duæ Disputationes de PRIVILEGIIS
STUDIOSORUM, Ejusdem
AUTHORIS.

*Legitimi Possessoris, Editio ultima, que de jure præfe-
renda, furtiva verò illa, omni jure rejicienda.*

OS * * SO

GISSEHASSORVM,

Typis & Sumptibus JOSEPHI DIETERICI HAMPFELII,
Academici Typogr. Ordinarii.

M. DC. LV.

COLLEGIUM

ET HUMANITATIS

MDCCXX

DE SUMMO HOMINIS BONO

IN QUO LIBERAE ARTHURUS HUMANI
SUI MENTE AC VOLUNTATE

SYSTEMA DE VIRTUTIBUS

A P. B. B. B. B. B.

UT

DE VIRTUTIBUS INTELLECTUALI

BUS ET MORALIBUS TAM IMPERFECTIS

Quam perfectis & perfectissimis, quae sunt virtutes

intellectuales & morales, quae sunt virtutes

intellectuales & morales

DE QUAE

PRÆFATIO ET AVCTORE

CHRISTIANO WILHELMO MARCHIONE

DE ET IN INCLYTA ACADEMIA

GISSENAE, QUONDAM LEONHARDI

PROFESSORIS

Rechtswissenschaften & Philosophie, Professor, Director

nominalis, hunc in modum praefatus est

hunc in modum

Cui accedunt De A. Disputatio de Virtute

STRECKONIUM, Augustum

AVCTORIS

In quibus, hunc in modum, hunc in modum

hunc in modum hunc in modum hunc in modum

GISSENAE, MDCCLXXII

Typographus JOSEPHUS DISTLERUS HANNOVERAE

Assumptus Typographus O. HANNOVERAE

MDCCXXII



VIRIS GRAVISSIMIS
Spectatissimis & tam in Mercatura
Libraria, quam Arte Typographica, Famige-
ratissimis, Amicis & Patronis meis
honoratissimis.

DN. SAMUELI König / BASILI-
ENSI.

DN. JOHANNI Nauman / HAM-
BURGENSEI.

DN. CASPARO Wecheler / FRANCO-
FURTANO.

DN. ELARDO Schumacher / WIT-
TENBERGENSEI.

DN. SIMONI Beckenstein / EINBEC-
CENSEI.

DN. PETRO Harboldt / HAEFNIENSI.

DN. CHRISTIANI Hermsdorff /
FRANCOFURTANO.

EPISTOLA



Ū M nuperrimè, ex singulari
in Artem Typographicam e-
jusq; Cultores amore, Viri No-
bilissimi & Consultissimi
DOMINI CHRISTIANI
LIBENTHALII, antehac
Ethices & Politices in Aca-
demiâ Gissenâ Professoris ce-
leberrimi, COLLEGIUM POLITICUM
NOVE M Eximii & in Arte Typographicâ & Mer-
caturâ Librariâ peritissimis viris inscripsissem,
atque deprehendissem, summoperè illis Epistolam
meam Dedicatoriam placuisse, ut propterea haud
exiguam complacentiae signum & gratitudinis non
contemnenda testimonium ederent; dispicere capi,
quibus potissimum praedicti Viri Nobilissimi
COLLEGIUM ETHICUM, nunc quoque
noviter à me typis excusum, inscriberem. Fateor
verò haud alios me reperire potuisse, quàm vos, Viri,
Spectatissimi & Gravissimi, quos, dum nuperrimè
NOVENARIUS mibi adeò dextrè & luculen-
ter affulsit, SEPTENARIi NUMERO com-
prehendere volui. Cum enim Ars Typographica
in eum usum potissimum & meritò adhiberi debeat

DEDICATORIA.

ut quæ sapientia & virtutum sunt monumenta posteritati incorrupta tradantur, artesq; liberales aliaque quàm plurima ad ETHICAM pertinentia septenario numero gaudeant, meritò & ego septem Viros Gravissimos eligere volui, qui Artis Typographica utilitatibus respondeant & meritis. Non nescitis, PRIMUM, quàm labilis & caduca sit hominum memoria, ut, quod hodie vel audiverunt vel legerunt, crastinâ die, velut non visum, vel non auditum, oblivionisq; cano submersum eruere vix longâ scrutatione possint; neque enim Esdræ memoriâ omnes pollent: perirent itaque omnia nisi litera essent, & Ars Typographica, quæ scripturâ communi tantò illustrior & commodior est, quantò citius unicum scriptum mille & mille oculis & discretis quidem exemplaribus facili labore subjici potest. Nostis DEINDE quòd ad artes conservandas scriptura quidem inventa sit, quæ verò adeò custodiri non possit, ut non exemplarium defectu aliqua pereat. Nostra Ars perituras Artes conservat, imò jam dudum perditas & hinc inde in Bibliothecis à muribus attritas renovat & revocat. Quid TERTIO nostræ arti debent literati? Multum profectò. Volitant ipsorum scripta per manus nostras ad extremos mundi fines, unde & ipsi absentes famâ sunt apud exteros, & dum ipsi de suâ gloriâ & vitâ domi desperant,

EPISTOLA.

vivere primium apud exteros, incipiunt. Et
quo **PORRO** in loco essent Heroës? Magnum debe-
rent Teutones nostræ arti, si priscis ea temporibus
cognita ipsis fuisset. Parum est, quod de rebus ge-
stis ipsorum scimus. Iam nullus Heroum, nullus
Principum, nostrâ Arte Typographicâ vigente,
ignorari potest, si vel ad decies mille annos adhuc
mundus persisteret. Quid **QUINTO** dicam de
illis qui sapientia cultores sunt & in doctiorum cen-
su haberi volunt? Doctrina, ars & eruditio sunt ex
libris. Hos imprimimus, hos in publicum damus,
ut proinde qui multos haberent annos in dignoscen-
dis veterum scriptis & literis cognitu impossibili-
bus, jam facili negotio omnia dicta scriptaque tan-
quam certa ad sapientiam documenta perlustrare
possint. Occulta etiam **SEXTO** nostra ars re-
ferat, & quæ vix millesimus cogitationibus ex-
plorare & assequi potuisset, ea qui vis nostris ex ty-
pis colligere potest. Ut neque **ULTIMO** ta-
ceam ad pietatem ipsamq; deinde vitæ aternitatem
haud parum inservire Artem Typographicam
quod illi sanè noverunt, qui omnibus omnino Do-
ctoribus destituti in mediâ barbarie solius Biblici
codicis lectione viaticum ad calum sibi parant, quo
nisi Ars Nostra succurreret, adeò destituerentur. Hæc,
inquam sunt, Septem illa merita, quibus Ars no-
stra gaudere potest. Sed & video Septem nu-
merari

DEDICATORIA.

merari dona Spiritus Sancti: Septem à sapientia
excisas columnas: Septem septimana dies: Septem
Gracia sapientes: Septem candelabra aurea: Sep-
tem stellas: Septem coronas: Septem Eccle-
sias: Septem Spiritus in conspectu throni: Septem
ostia Nili: Septem signacula: Septem cornua:
Septem oculos: Septem boves & septem spicas: Se-
ptem cum septem tubis Angelos: Septem capita dra-
conis & Septem in iis diademata: Septem to-
nitura locuta suas voces. Ut neque taceam Se-
ptem virtutes: Septem pleiades, Septem homi-
nis aetates: Septem Planetas: Septem metalla
& quae alia hinc inde sum in profanis tum sacris de
hoc numero Septenario dicta legimus.

Ceu verò vos SEPTEM VIROS
Graviss. huic libello morali & Ethi-
co praefixi. Ita SEPTEMPLICEM,
vobis opto fortunam, SEPTEMPLI-
CEM virtutum numerum, & ut
SEPTEM hominis aetates complere
vobis detur, usque exantlato hu-
jus mundi senario Sabbathum, id est
septenarium magnū celebretis in caelo.

VALETE

EPISTOLA DEDICAT.

VALETE VIRI SEPTEM
HONORATISSIMI, & mihi
SEMPLECI vestro favore favete.
Dab. GISSÆ, Die Septimo Aug.
ANNO M. DC. LV.

*V*estro Cultore indefesso

Josepho Dieterico Hampelio, Acad. Giffensis
Typographo Ordinario.

V A L E T E

COLLEGII ETHICI
EXERCITATIO I.

Resp: Laurentio Clementis Wellojo Dano.

PROOEMIUM.



Vod Philosophorum mos obtinuit & ac-
quirenda scientia norma ac forma om-
ni modo ac per omnia suadet; ut in proce-
mio cuiuslibet tractationis methodus &
ratio tractandi proponatur: Id à nobis
Ethicorum discussionem instituere in a-
nimo habentibus; merito observatur.
Quamobrem ut ad eliciendum vera &
ejiciendum falsa, felici progrediamur
sistere; & statim in principio habeant.

qui huic nostro operi & animum & tempus sunt consecraturi, quid
imposterum expectandum; hanc methodum in exercitationibus no-
stris Ethicis quam firmiter tenere studebimus.

I. Præcepta ex optimis auctoribus colligemus & thesi, nos pro-
ponemus.

II. Questiones controversas ex ipsis præceptis proficientes pro &
contra tractabimus & certificabimus.

III. Corollaria quaedam ex omni genere scientiarum adjunge-
mus

Sed quia Nullus est felix conatus & utilis unquam.

Augmentum si non det q; juvet q; Deus.

Quare, antequam incipias orato:

Alme Deus nostris feliciter annue ceptis,

Vnde tibi laus sit, nostraq; certa salus.

T H E S I S I.

Disciplinarum Practicarum vulgò tres constituuntur à Philo-
sophis, *Ethica*, quâ officium boni Viri: *Oeconomica*, quâ offi-
cium boni Patris familiâs. *Politica*, quâ officium boni civis & ma-
gistratus præscribitur & demonstratur: Differt proinde *Ethica* ab
Oecono-

Oeconomica & Politica tanquam generale à speciali. Traduntur enim in Ethica ejusmodi, quæ ad omnia vitæ genera pertinent; Politica verò in specie tantum ea, quæ pertinent ad Rempubl. bene gubernandam: Oeconomica tantum ea, quæ in specie ad familiam bene & laudabiliter administrandam conducunt.

2. Dicitur Ethica *ratione causa efficientis* ἀπὸ τῆς ἔθους, hoc est, ab assuetudine seu assuefactione, propterea; quod consuetudine, id est, crebro usu & assiduo exercitio mores induamus & conformemus: Vel dicitur *ratione subjecti* ἀπὸ τῶν ἠθῶν à moribus, propterea, quod circa mores ad honestatem informandos & efformandos tota occupata.

3. Sumitur porro Ethicæ vocabulum dupliciter *Generaliter & Specialiter*. *Generaliter* denotat totam Philosophiam practicam, cujus ambitu Ethica specialiter sic dicta, & Politica, & Oeconomica, comprehenduntur: *Specialiter* verò solam Ethicam, practicæ Philosophiæ partem generalem & primariam infert. Nos neglecta generali significatione, de solo speciali significato in præsentiarum agemus, quo sensu alijs indigitatur nominib. utpote disciplina morum, item ratio & doctrina bene beateque vivendi, alijsque his similibus.

4. Definitur: Ethica est prudentia hominum actiones bonis moribus informans & ad bene beateque vivendum efformans.

5. *Objectum* considerationis seu cognitionis Ethicæ, sunt *actiones humana*, non quatenus naturales, sed quatenus voluntariæ & ad summum bonum civile consequendum informandæ. Operationis verò seu informationis objectum Ethicæ, est *homo beabilis*, hoc est, quatenus bonis moribus informari aptus natus est.

6. Finis Ethicæ duplex est. *Universalis & Particularis*. *Universalis* finis Ethicæ est Gloria Dei. *Particularis* iterum 2. *Internus & Externus*. *Internus* est hominem bonis moribus, seu virtutibus informare vel instruere intellectum, quomodo is appetitum possit ac debeat regere. *Externus* est summa in hac vita felicitas seu beatitudo.

7. Partes Ethicæ duæ sunt, *ἐνδαιμονολογία & ἀρετολογία*, quarum illa de summo hominis bono, hæc verò de virtutibus seu medijs ad summum bonum ducentibus agit. Et tantum de præceptis, sequuntur quæstiones.

QUÆST. I. *Utrum Philosophia Practicæ præferenda Speculativa?*
In hac prima quæstione diversas invenies apud diversos authores sententias & imprimis apud Picol. gr. s. à c. 44 usque ad c. 50.

Qui

EXERCITATIO I.

3

Qui Philosophiam practicam præferendam esse Philosophiæ theoreticæ statuunt, his rationibus pugnant. 1. Ex communi oppositorum regula: Quod illud, cuius oppositum est deterius, debeat judicari præstantius. Atqui Imprudentia deterius est vitium ignorantia seu inscitia, propterea, quod propter imprudentiam infames reddamur, propter inscitiam vero neutquam. Ergo prudentia ipsa sapientia est præstantior & per consequens Philosophia Practica Theoreticæ est præferenda. 2. Quia Sapientia absq; Prudentia omninò inutilis, perniciofa & similis gladio in manu furentis: Contra prudentiam seorsim & ratione sui consideratam, esse utilem atque idoneam ad homines obediens atque probos reddendum. 3. Quod prudentia pertineat maximè ad homines, sapientia verò magis ad Deum. 4. Quod finis actionis videlicet *Bonum*, sit præstantior fine contemplationis videlicet *Vero*. 5. Quod per prudentiam homo lege naturæ constituatur Princeps & Rex mundi, non vero per sapientiam. 6. Quod longè gratiores reddamur Deo per prudentiam, quam per sapientiam. Benè enim agendo melius placeamus Deo, quam benè meditando, ut, & econtra, male agendo magis displicemus Deo, quam malè sentiendo: Sic odisse Deum deterius est, quam malè de eo sentire. 7. Quod sapientia sit subjecta omnibus miserijs & calamitatibus; prudentia verò nequaquam, sed omnî tempore frugifera. Hæc rationes & similes non tantum collegit *Picol.* dicto gradu; verum etiam solide easdem *c. 49. ejusdem gr.* refutavit, quò diligentem auditorem remitto.

Qui verò Philosophiam Theoreticam præferendam esse practicæ disciplinæ asserunt ac defendunt, plurimi sunt & similiter moventur rationibus ponderosis, de quibus vide & lege *Picol. dicto gr. p. 484.* Imprimis verò, quod sui tantum gratia *1. Met. §. 35.* Item quod absolute prima *12. Met. §. 39.* Quod Divorum propria, *Plod. Ennead. 4. lib. 2.* Quod immortalitatis datrix & nullius rei indiga *Marsilius Ficinus. & Laërt. l. 6. c. 1.* Quod prudentiæ gubernatrix. *Stob. serm. 33.* Plures rationes vide apud Philosophos passim, imprimis verò apud *Picoll. dicto gr. & Crugerium* in suis disquisitionibus Ethico-Politicis, in area horti virtutum prima, quæstione prima.

Cum ergò pro utriusque præstantia rationes sint multæ, æque ponderosæ, placet nobis cum Dn, Giffenio in suis Politicis in proœmio, item cum Crugerio *in Politic. disp. prima*, & alijs passim, pro determinatione quæstionis distinguere inter dignitatē & utilitatē, & præsupposita illa distinctione asserere, utraq; diverso respectu, alteri esse præferendam, & practicam quidē respectu usus in vita communis

4 D. Liebenthal's COLLEGII ETHICI

actionumque civilium præferendam esse, quippe quod in Republica
blicam à solis & nudis speculatoribus nihil emolumenti redundare
possit, & neque politiam constituere, neque fauciatam ad integri-
tatem & sanitatem reducere queunt; Contra Theoreticam respectu
dignitatis objecti & certitudinis præferendam esse concludo.

QUÆST. II. *Vtrum Philosophia practica ante Theoreticam
addiscenda?*

In hac secunda quæstione diversas invenies apud diversos au-
ctores sententias, & quidem qui Philosophiam practicam ante
theoreticas disciplinas addiscendam esse statuunt, inveniuntur plu-
rimi, non tantum ex veteribus, quas *Picol. in introductione ad Phil.
moralem. cap. 25. p. 52.* una cum rationibus allegat & refutat, ve-
rum etiam ex recentioribus & imprimis defendunt hoc *P. Martyr.
in comm. in l. Eth. Nicom. & Acciaolus in præf.*

Nos contrariæ parti adstipulamur & Philosophiæ speculativæ
prius incumendum esse, cum *Aver. in præem. phys. Laert. in vita
Zenon. Arist. 1. de an. §. 2. Plat. in Alcib. Picol. d. l. c. 26. & 27. Caso qq.
Moral. c. p. 72. Coll. Conimb. in Proæm. Phys. Jarvell 6. Eth. tr. 2. c. 6.
Velsten. disp. Eth. 1. q. 3.* & aliis quamplurimis, defendimus, propterea
quod subjectum alicujus disciplinæ oporteat esse præcognitum, *Za-
bar. de præcog. c. 2.* Atque Physica Ethicæ subjectum videlicet homi-
nenti pertractat, quem postmodum Ethica bonis moribus imbuat &
informet. Præterea, quia omne confusum prius cognoscendum,
quam distinctum, *Arist. 1. Eudem. c. 7.* & omnis actio prius per se
consideranda, quam cum additamento, quatenus videlicet vel ho-
nesta vel turpis. Sic etiam homo prius est per se considerandus, an-
tequam consideretur, quatenus est bonus & laudabilis. 3. Quia Physica
facilius addiscitur, quam Ethica. Illam enim & puer capere potest,
hanc verò, propter varietatem actionum & difficultatem in exer-
cendis virtutibus, minimè tam citò addiscere potest, *Arist. 1. Nicom.
7. & 6. Nicom. c. 2.*

QUÆST. III. *Vtrum libri Oeconomici & Politici ante Ethicos
addiscendi?*

Nituntur hoc aliqui affirmare, qui moventur non tantum aucto-
ritate *Arist. 1. Polit. 1. asserentis*, priorem esse civitatem ipsa domo;
verum etiam pugnant rationib. quibusdam, quarum hæc est præ-
cipua, Quod asserente *Arist. 10. Moral.* directam institutionem à
puero assequi sit difficilimè, nisi prius talibus legibus fuerit instru-
ctus, & quia temperanter & patienter vivere per se ingratum &
injucundum tum maximè juvenibus, ideoque institutionem illam
legi-

E X E R C I T A T I O I.

legibus debere esse præscriptam. Inde sequi putant necessum esse ut prius pertinentia ad leges, quales sunt libri de Repub. addiscamus, antequam ad Ethicam addiscendam transitum instituamus. Verum quia horum rationes nullæ sunt & facilimo etiam iectu inverti possunt, auditorem remitto ad *Piccol. in introd. ad Philos. moral. c. 23. fol. 61.* qui plures rationes allegat & easdem etiam solide ibidem refutat.

QUÆST. IV. *Utrum Ethica sit à Theologia distincta?*

Invenies quosdam, qui inter Ethicam & Theologiam non distinguunt, sed bonum spirituale cum bono morali atque adeo externam vitæ honestatem cum interna pietate confundant, sed crasse aberrant & turpiter cæcutiunt. Proinde affirmativam nos tuebitur, & Ethicam à Theologia differre affirmabimus propter has rationes. 1. à fine Ethicæ & Theologiæ: Ethicæ enim finis est beatitudo moralis: Theologiæ verò beatitudo æterna. Unde sic argumentor: Quarum disciplinarum fines sunt distincti, eas ipsas distinctas esse oportet, &c. Et quamvis homo in hoc seculo aliquantulum de felicitate Theologica percipiat, puta conscientie tranquillitatem, Dei cognitionem, sanctorum Angelorum consortium, sui ipsius inchoatam restitutionem: Verbis tamen explicari non potest, quantum à felicitate Theologica, quæ est æternæ vitæ fructio differat. 2. differunt objecto: Theologia enim occupata est circa interiorem hominis affectum ad imaginem Dei recuperandum, atque sic non hujus vitæ terminis concluditur: Ethica vero concluditur finib. hujus vitæ & tantum circa mores in civili hominum societate versatur. 3. Differunt subjectis: Subjectum enim Theologiæ est homo pius & religiosus: Ethicæ verò subjectum est homo probus & honestus: in quantum autem homo pius ab honesto differat, inde apparet, quod apud Romanos Decii, Fabii, Pisones, apud Græcos, Aristides, Scipio, &c. quatenus temperantiam, fortitudinem aliasq; virtutes morales amplexi sunt, in civili hominum societate fuerint honesti & probi, qui tamen respectu Theologiæ extiterunt desperatissimi. 4. Propter amicitiam diversam: Ethica enim confert amicitiam duntaxat civilem, quæ medium est ad felicitatem civilem: Theologia vero confert spirituales, quæ medium est ad beatitudinem spirituales seu cœlestem. Sic aliud est, si conspiravero cum aliquo in exercitiis honestatis & aliud si conspiravero, cum aliquo in exercitiis pietatis. Hinc ergo contra Thalæum & alios cum Apostolo 1. Tim. 2. v. 2. distinguimus inter pietatem & honestatem atque hac ratione Ethicam à Theologia distinctam esse concludimus.

QUÆST. V. *Vtrum Ethica Theologia sit
adversa?*

Ethicam diversam esse à Theologia jam planum fecimus, sed tantum abest, ut eandem adversam Theologiæ esse dicamus. 1. Quia Deus ut causa discriminis honesti & turpis hic quoque resultantis Ethicæ causa existit. 2. Quia sunt dona Dei: Dona enim Dei inter se non pugnant. Deus enim non causa dissidiorum & repugnantia, sed concordia auctor censetur. 3. Quia bonum bono non repugnat, sed perpetuò concordat; Sic boni mores non adversantur pietati, quamvis à pietate uti dictum distinguantur; Sic honestas non tollit pietatem aut pietas honestatem, quamvis ab invicem differant: Et si repugnarent boni mores pietati, sequeretur malos mores pietati convenire, quod absurdum & impium. 4. Quia religio & pietas nostra non tollit civilem amicitiam & societatem aliorum; Possum enim cum aliquo conspirare in exercitijs honestatis, cum quo in exercitijs pietatis conspirare nefas est. Ethicam proinde nequaquam Theologiæ adversam esse concludimus.

QUÆST. VI. *Vtrum Ethica, quatenus ex Philosophorum
scriptis traditur, sit homini Christiano ne-
cessaria ac utilis?*

Non esse homini Christiano necessariam probatur 1. à rejectione finis. Quod enim multò rectius & tutius ex Decalogo haberi potest, illud non est necessarium, ut doceatur ex Ethnicorum præceptis. Atqui modus honestè vivendi haberi potest ex Decalogo. E. 2. à causa efficiente. Quia quæ ab Ethnico sunt tradita potius videntur perniosa, quam necessaria.

Verum non solum utilem, sed necessariam esse Christiano Ethicam, probatur his rationibus. 1. à toto ad partem. Tota Philosophia est necessaria. Ergo & Ethica, quæ pars Philosophiæ est, 2. à Genere, Quia est Dei donum, ab Aristotele & alijs non ut Ethnicis, sed ut hominibus exquisita scientiâ instructis, traditum. 3. ab adjunctis, utilitatibus, quia demonstrare possumus ex Ethicis, quomodo Deus sese hominibus manifestavit, item docet Ethica, quousque homines lumine naturæ pervenire potuerint. Item ostendit Ethica, quomodo lex divina consentiat cum humana, & quæ sunt plurima Christiano Philosopho digna. 4. Quia necessaria est non quidem ad salutis acquisitionem, sed ad vitæ integritatis studium, item naturæ perfectionem & ad faciendum discrimen inter virtutes divinas & naturales.

Pro determinatione quæstionis distinguimus inter id, quod absolute

solutè & ratione essentiali necessarium, & quod secundum quid vel ratione existentiae necessarium est. Ethicam non quidem absolutè & ratione essentiali necessariam Christiano homini dicimus; sed duntaxat secundum quid & ad existentiam, ut videlicet Christianus sciat quousq; Ethnici pervenire potuerint, & ut distinguat inter virtutes naturales & divinas.

QUÆST. VII. *Virum Ethica resolutivo ordine sit conscripta?*

Uberrima verborum copia insurgit, *Picol.* contra Aristot. ejuſque affectas in *introd. ad 10. gr. à cap. 14. usq; ad cap. 25.* In quibus nihil aliud agit, quam ut ordinem distinguat à methodo, & utrumque servari posse tam in scientiis theoreticis, quam practicis, asserat. Verùm ut habeamus, in quo mens nostra tutò acquiescere possit, firmiter tuebimur & retinebimus mentem Aristotelis, duplicem ordinem statuentis: Unum compositivum & alterum Resolutivum. Compositivum, qui ex principiis prioribus & simplicioribus procedit ad composita: Resolutivum, qui à compositis procedit ad simplicia: Illam scientiis speculativis, hanc verò disciplinis practis tantum competere. Et sic minus commode hos ordines confundi. Et quamvis sint, qui clamitent, Aristotelem ordinem compositivum in libris *Ethicis* adhibuisse, uti inter alios facit *Theod. Zw. ing. in præfat. in tab. Ethicas. Nicom.* longè tamen aberrant. Etenim quis non videt, Aristotelem suam *Ethicam* inchoasse à tractatione summi boni, tanquam à fine, quod certè nullam aliam ob causam factum, quam quod finis in disciplinis practicis obtineat rationem Principii, *6. Eth. 5. & 7. Eth. 8.* Consulatio quippe omnis suscipitur ob finem propositum, *3. Ethic. 3.* Proinde illa est artium & disciplinarum practicarum natura, ut fine tanquam Principio præsupposito, instrumenta, quorum ductu finis attingatur, monstrant, id, quod non tantum *Galenus 9. Met. cap. 7.* exemplo artis Medicæ satis superq; demonstravit, verùm etiam in *1. c. de constit. art. Med.* conceptis verbis scripsit: omnium videlicet consensu artes resolutivâ methodo debere tradi. Quin imò & ipse Aristoteles non tantum præcepto multis in locis expresso, sed & exemplo suo proprio docuit, summè necessarium esse, ut in artibus analyticis ordo quâ accuratè observetur. Quamobrem *l. 3. Polit.* initiû fecit à Republica. Item in prioribus analyticis à Syllogismo. Sic in *top. à Syllog. topico.* Plura, qui desiderant hac de quæst. videant *Cl. Ar. in doctrin. polit. c. 1. per tot.*

QUÆST. IIX. *Virum in Ethica dentur demonstrationes?*

Negant hoc Zabarellistæ, 1. à genere, quia in *Ethica* nullâ datur scientia. E. neque demonstratio. Siquidem in omni scientia duplex

A 4 requi-

§ D. *Lebenthals* COLLEGII ETHICI

requiritur necessitas, una in animo scientis, quæ sit simpliciter immutabilis altera in re scita, *Zabarell. in comment, in c. 2. lib. 1. post.* Atqui in Ethicis neutra datur: cum tantum agat de meris contingentibus. 2. ab objecto: Quia versatur tantum circa contingencia, videlicet circa actiones humanas & mores hominum informandos.

Verum contrarium est verius & probatur inde, i. à requisitis demonstrationis, quæ sunt subjectum, affectio & principium proprium. Atq; hæc tria dantur in Ethicis. Nam de homine tanquam subjecto demonstratur virtus tanquam affectio per propria principia, videlicet mentem, voluntatem, consultationem, & prælectionem, E. &c.

Pro resolutione & determinatione quæstionis distinguendum est inter demonstrationes exquisitas & inter minus exquisitas. Illæ dantur in disciplinis contemplationis; hæc vero in practicis. Proinde distinguendum etiam est inter actiones humanas & rationem, & modum certum honeste vivendi in Ethicis præscriptum. Posteriori & non priori modo, dicimus in Ethicis dari demonstrationes.

QUÆST. IX. *Vtrum Ethica secundum Ideam potius, quam secundum actiones quat. in singularibus & individuis dantur, sit conscribenda?*

In hac quæstione discordantes sunt Peripateticorum nonnullorum opiniones. Quidam statuunt omnino absurdum esse, si secundum ideam, hoc est, si secundum generalem hominis conceptum & non quat. in hoc vel in illo individuo habetur, Ethica traderetur, & moventur potissimum his rationibus. i. à communi Philosophorum principio: Quod nihil omnino sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. 2. Quia Ethica est disciplina practica. Ergo secundum actiones essent conscribenda, cum verò actiones sint singularium & non universalium, concludunt, secundum actiones humanas, quatenus in hoc vel in illo individuo dantur, Ethicam esse conscribendam & tradendam.

Contra secundum communem ideam Ethicam tradendam esse, probatur i. Quod solida constans & perfecta effigies virtutis menti sit proponenda. 2. ab exemplis paribus. Sic enim considerant & definiunt Iusti iustitiam: Quod sit constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi. Non quatenus in hoc vel illo individuo reperitur, sed quatenus in se & secundum ideam consideratur. Cui opinioni, ut receptiori, & communiori, nos nostrum adponimus calculum.

QUÆST.

QUÆST. X. *Vtrum libri Ethici ab Aristotele conscripti?*

Dubium alicui facere potest, quod *Tullius 5. in fin. Nicomachum* Aristotelis filium, auctorem horum librorum fecerit. Et porro, quod *Diog. Laert. referente Pic. c. 13. introd. ad 10. gr.* quatuor tantum libros morales ab Aristotele conscriptos numerarit, cum tamen horum librorum 10. sint. Præterea, quod in *2. Polit. 1. ab Aristotele* scriptum sit, æqualitatem talionis conservare civitates: contra vero *5. Eth. Nicom. asserat.* talionem neque convenire ad legitimum, neque ad civile, &c. Verum ut sit, rectius statuitur Aristotelem auctorem esse horum librorum non tantum, quod hi libri cum reliquis Politicis sapiant eandem constantiam, Styli conformitatem, iudicium, eruditionem & methodum, quinimò, quod consentaneum non sit, Nicomachum ejus sapientiæ, prudentiæ, ingenii, & iudicii fuisse, ut tam perfectum opus scribere potuerit; Verum etiam, quod Aristoteles ipse eos agnoverit & in calce 10. lib. moralium *Nicom.* nos ad libros Politicos remiserit. Porro quod veteribus usitatissimum fuerit, libros nomine alicujus amici, fratris vel filii inscribere, idem etiam Platonem & multos alios fecisse certum est. Cum ergo Aristoteles pater ad filium Nicomachum hos libros solum scripserit & pro eo tantum composuerit, ejus proinde nomine divulgare voluit. Ciceronis auctoritas, quem non raro in referendis Philosophorum opinionibus hallucinari, *Scalig. ex. 256. & 369. sect. 4. ait:* hac in re nos non percellit: Diogenem quod attingit 12. libros Ethicos à se insufficienter enumeratos esse. Talionem *Aristot. 5. Eth.* non absolute & simpliciter damnat, sed tantum respectu æqualitatis Arithmeticæ, quatenus videlicet sententiâ Pythagoræorum æstimabatur.

QUÆST. XI. *Vtrum Ethica sit ars, an verò prudentia?*

Cum virtutes non nobiscum nascantur, sed ex igniculis connatis per crebras actiones & præceptorum moralium exercitationes acquirantur, patebit, Ethicam habitum esse, qui cum sint alii instrumentales alii principales, & Ethica non propter alium habitum sed sui gratia comparata, ex principalibus habitibus necessario erit. Qualis autem sit, Philosophi dimicant. Procul dubio Ethica erit habitus practicus & non theoreticus, quia non in contemplatione sed actione acquiescit. E aut ars aut prudentia erit. Artem esse negamus. Nam si ars esset, tunc vel esset *ἔξις μετὰ τὴν λόγον ποιητικὴν* vel esset systema præceptorum. Atqui neutro modo ars dici potest. Non enim primo modo, quia Aristoteles non absque ratione reli-

giosè satis distinguit, inter $\pi\rho\acute{\alpha}\tau\eta\nu$ & $\pi\omega\iota\epsilon\acute{\iota}\nu$. Aliud enim est $\pi\acute{\omega}\eta\sigma\iota\varsigma$ & aliud $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\varsigma$, unde etiam longè aliud $\pi\rho\acute{\alpha}\tau\eta\sigma\mu\epsilon\nu$ & aliud $\pi\omega\iota\sigma\mu\epsilon\nu$, atque sic effectio non est actio, uti neq; actio effectio. Per $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\varsigma$ ideoq; actionem evanescentem denotamus, quæ non in fixo, sed fluente consistit, ut est victoria, stratagema, litis decisio, &c. Per $\pi\acute{\omega}\eta\sigma\iota\varsigma$ effectum fixum & stabile intelligimus cujusmodi est calceus Sutoris, Domus, statua, &c. Praxis ergò in actione & consistit & acquiescit: $\pi\acute{\omega}\eta\sigma\iota\varsigma$ verò ulterius progreditur & post actionem $\pi\acute{\omega}\eta\mu\alpha$ quoddam hoc est materiatur effectum relinquit. Hoc ideoque artium, illud verò prudentiæ est. Cum ergo Ethica non producit opus externum materiatur, non utitur ad producendum suum finem corporeis instrumentis, non versatur in materia externa corporea, quæ omnia sunt artis requisita certissima, quibus absentibus, & ars abest, & negari potest. Sequitur quod primo modo ars dici nequeat. Porro neque secundo modo Ethica ars dici potest, quia ars tali modo non est essentialis ipsi Ethicæ, nam comprehensio præceptorum legitimè dispositorum est tantum accidens Ethicæ, cujus vis non est essentialia ipsi disciplinæ ingerere. Atqui omne genus est essentialiale; Ergò essentialiale & legitimum ejus genus ars constituere nequit. Et quis accidentale quoddam, esse genus essentialiale illius, cujus est accidens unquam affirmare ausus est? Sic enim omnes scientiæ artes essent, nec esset aliqua de re doctrina, quæ non vocabulo artis indigere posset. Proinde Ethica esset nihil aliud quam systema præceptorum, cum tamen non sit liber vel systema, neque ipsa præcepta, sed efflorescens aliquis habitus ex crebra præceptorum usurpatione & exercitatione natus. Relinquitur ergò legitimum genus Ethicæ prudentiam esse. 1. Quia prudentia immediatè in quæstione, quid est, prædicatur, de Ethica, quod veri generis nota est certissima, *Velften. Exerc. Ethic. 1.* 2. Quia prudentia est omnium virtutum moralium forma dirigens, & omnia quæ aguntur in humanavita per prudentiam benè fiunt, qua verò dempta, omnia in pejus ruere necesse est.

Pro determinatione quæstionis distinguimus. 1. Inter genus Essentialiale & Accidentale Ethicæ. 2. Distinguendum est artis vocabulum, quod dupliciter consideratur, uno modo habitualiter & quatenus est in mente Philosophi, altero modo quatenus est in libro systematicè. Quibus distinctionibus præsuppositis dicimus, Ethicæ essentialiale genus esse prudentiam, genus verò accidentale artem non quidem primo, sed altero considerationis modo. QUÆST.

QUÆST. XII. *Vtrum Ethica possit definiri?*

Dubitationis ansam præbet. 1. Quod Aristoteles ipse, in tribus suis voluminibus, quæ de moribus, ad *Eudemium* ad *Nicomachum* & in opere magnorum moralium scripsit, nullam Ethices definitionem posuerit. 2. Quod tritum sit apud JCtos: Omnem definitionem esse periculosam. Inde etiam reprehenditur à quibusdam, quod contra legem methodi peccarit, quæ vult, ut à definitione tanquam generaliore & notiore ordiamur.

Sed nihil est quod dubites, timeas, aut Aristotelem reprehendas. Non enim semper necesse est à definitione ordiri rem aliquam, nisi sit res obscura. Quamobrem tanquam in re minus dubia sed clara & perspicua occultare potius voluit Aristoteles definitionem, quam expressis verbis ponere, ut magis eos, ad quos Ethicam suam scripsit, excitaret, ut & ex virtutum partitione & enumeratione, quæ & quanta esset hæc disciplina, ipsi statuerent. Quod porro JCtis in ore est huc non quadrat. Nam definitio JCtis est Regula, quæ propter generalitatem, casu diverso allato, facile subverti potest. Nos autem à communi præcepto juxta legem methodi exercitationes nostras Ethicas ordiri volumus, & sic definiendam esse Ethicam concludimus.

QUÆST. XIII. *Vtrum homo quatenus beabilis, sit adæquatum Ethices objectum?*

Philosophi hac in quæstione mirificè variant, *Albertus* & *Antonius Mirandula*, Summum bonum pro objecto agnoverunt. *Stoici* virtutem ipsam pro objecto amplexi sunt. Nonnulli civitatem pro objecto venditarunt. Alii actionem humanam, ut *Picol. introd. phil. mor. ad 10. gr.* & *Gol. in Proleg. Eth.* Assertionem suam probant hoc modo. 1. ab objecto prudentiæ: Prudentiæ objectum sunt actiones humanæ, Ergò 2. à genere ad speciem: Omnium artium objectum est illud, quod ab eis natum est agi vel effici, *E.* & *Ethicæ*. Hujusmodi autem in *Ethica* nihil est aliud, quam actio humana, &c.

Contra *Zab. l. 1. de nat. Logic. c. 11. Coll. Conimb. in proæm. in Eth.* *Arist. Riccobon. in Prefat. Sagittar. disp. 1. quæst. 5. Nicolaus Hunnius disp. Ethic. 1. quæst. 2.* Statuunt adæquatum & legitimum objectum Ethices esse hominem quat. beabilis. Quorum sententiam, quia & verior, communior & certior, & nos approbamus, & sequentibus rationibus confirmamus. 1. à conditionibus objecti. 1. Ut extra illud sit, cujus est obiectum. 2. Ut omnibus, quæ in disciplina tractantur, substet. 3. Ut non demonstretur in ea scientia, in qua est subjectum. 4. Ut

4. Ut sit radix à qua & omnia principia & accidentia oriuntur, Zab. de trib. pracog. c. 2. Atqui hæc omnia competunt homini quatenus beabilis, &c.

2. Ratio à simili. Medicinâ & Ethica respectu actionis & finis aliquatenus inter se conveniunt. Quemadmodum Medicina corpus curat: Ita Ethica philosophicè animum. Atqui Medicina versatur circa hominem sanabilem, Ergò Ethica circa hominem beabilem.

Ex his facile patet iudicium de aliorum opinionibus. Et primam opinionem, quod attinet, dicimus, quod finem accipiat pro objecto. Secunda propriè loquendo tolerari non potest, quia in virtutibus consistit ipsa Ethicæ essentia. Tertia nullo modo tolerari nequit, nam civitate dempta, nihilominus, remanet Ethica. Quarta licet sit tolerabilior; Verum tamen non tangit, quia actiones numerantur inter principia vel effecta virtutum, E. &c.

Pro refutatione argumentorum à Picol. oppositorum disting. est inter ipsam actionem, & rem sub actionem cadentem. Prudentiæ objectum non est ipsa actio, sed res cadens, sub actionem. Non enim actiones, sed res propriè dicuntur agibiles.

Pro decisione quæstionis disting. est inter objectum cognitionis Ethicæ, quod est modus honestè vivendi & inter objectum operationis. 2. Notandum hoc loco venit, vocabulum objecti sumi quadrupliciter, 1. latissimè, pro quacunque re considerata in disciplina. 2. pro subiecto demonstrationis. 3. Metaphoricè pro fine. 4. pro objecto sic specialiter dicto Zab. lib. 1. de Nat. Log. cap. 56.

QUÆST. XIV. *Utrum Ethica rectè dividatur in εὐδαιμονολογίαν & ἀρετολογίαν?*

Ethicam disciplinam practicam esse ex præcedentibus notum est, & proinde à fine eandem inchoandam esse planum fecimus, propterea, quod finis in disciplinis practicis obtineat rationem principii Aristoteles 6. Ethic. 5. & 7. Eth. 8. & illa sit disciplinarum practicarum natura, ut fine tanquam principio præsupposito, instrumenta monstrent, quorum ductu finis attingatur 7. Met. 5. 23. Finis autem hic est εὐδαιμονία Politica. Ergò primam nobis Ethicæ partem constituit. Sed uti non sufficit, si habeas finem præcognitum, nisi media & instrumenta ad finem consequendum habueris in promptu: requiruntur proinde & media, quibus ad illum finem deducaris: Media autem hic sunt virtutes. Ergò & alteram Ethicæ partem nobis constituunt. Itaque duæ tantum partes erunt, quæ totam

Ethi-

Ethicam adimplent & in partibus essentialibus, absolvunt. At quo
amicitia, quò voluptas inquires? Resp. Tertiam partem non consti-
tuunt. Non enim sunt partes Ethicæ essentialis, sed tantum effectus
secundarii, qui ad integritatem Ethices tantum spectant, uti s. digiti
in utraque manu ad integritatem corporis, non verò ad essentialem
constitutionem faciunt. Reducitur ergò amicitia & voluptas ad
εὐδαιμονίαν non primariò, sed secundariò, & faciunt ad splendo-
rem & præminentiam.

QUÆST. XV. *Vtrum juvenis idoneus auditor Ethices?*

Invenies qui hoc simpliciter affirmant, uti etiam inter alios *Scop-
ferus disp. 1. Eth. q. 1.* & movetur imprimis hoc fundamento: Uti
æger opus habet Curatore medico: ita juvenis indiget informato-
re Ethico. Contra videtur Aristoteles juvenes ab Ethices sacrario
planè arcere, *1. Ethic. 3. & 6. Eth. 8.*

Nos pro decisione hujus quæstionis distinguendum putamus in-
ter juvenem ætate & juvenem moribus. Juvenem ætate dicimus
illum, qui in vigore ætatis constitutus ratione sua utitur & illum im-
petum & pugnam affectuum rationis videlicet & voluntatis sentit.
Moribus juvenis ille dicitur, qui adhuc adolescentiatur & luxu-
riatur, illam pugnam non sentit, & rationem planè captivam præ
affectibus dominantibus ducit, cui virtutes sunt despectui, sanas do-
ctrinas & institutiones irridet & floccipendit: Illum Philosophus
non repudiat, sed hunc ab institutione Ethica arcendum putat. Et
sic sanè est. Nam Ethica cum sit medicina quædam animi, quid effi-
cere poterit, ubi affectus rationem planè vicerunt & superarunt &
jam res desperata facta est. Non secus ut Medicus frustra medicinam
applicat, ubi non amplius pugna morbi & naturæ, sed jam morbus
naturam vicit & superavit: Sic Ethica frustra adhibetur, ubi jam de-
fuit pugna rationis & voluntatis, & affectus jam animum infecerunt,
& totam massam corruerunt. Quamobrem non bonæ indolis ju-
venes, sed desperatos ac deperditos arcendos esse putamus.

QUÆST. XVI. *Vtrum futuro Jcto Ethica sit
necessaria?*

Quod verbis inficiari non audent, id factis pernegant bene multi,
dum neglectis disciplinis practicis, ad Jctorum commentarios sta-
tim prouunt, & Bartolum, Baldum, Ulpianum, &c. circumferunt.
Nos non tantum quo ad τὸ γινῶναι, hoc est, ad notitiam simplicem
& absolutam, sed quo ad εὐγινῶναι, hoc est, ad plenioram & solidi-
orem cognitionem juris Ethicam necessariam esse futuro Jcto pro-
bamus.

bamus. 1. Quod principiis ignoratis res bene cognosci non possit. Atqui principia jurisprudentiæ in Ethicis proponuntur, in Ethicis enim agitur de virtutibus tam in genere quam in specie, item de causis actionum humanarum, de justitia, de jure naturæ, de summo hominis bono, &c. Unde etiam ortum proverbium: Ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jctus. Ergo: 2. de similibus idem judicium. Sicuti bonus Medicus esse non potest, qui non sit Philosophus naturalis: Ita nec bonus Jctus, qui non calleat Philosophiam moralem. 3. Quia ab inferioribus ad superiora & graviora, à principiis ad principiata, à causis ad effecta, à fine ad media est progrediendum. Atqui in Ethicis finis & principia jurisprudentiæ cognoscuntur. Est enim Ethica nihil aliud, quam præcepta justitiæ & fœtus prudentiæ, Ergo, &c. Errant proinde & in studiis vagantur, qui neglectis disciplinis practicis statim ad studium juris progrediuntur.

Z H T H M A T A.

1. Christianis Ethnicorum legibus & libris in quantum non sunt contraregulam salutis, uti prohibitum non est. Nam & impii prudentes esse possunt & benè Rempub. gubernare.
2. Homo naturâ est animal Politicum seu civile Cas. in polit. lib. 1. c. pag. 14.
3. Servitus est quidem contra jus naturale §. 1. inst. de jur. pers. Sed contra naturam humanam non est. Est enim hominis salvandi gratia introducta.
4. Partus septimestris legitimus est ex sententia Hippocratis, cujus authoritas à Jctis recepta & approbata est. Paul. l. 12. ff. de statu hom. & Ulpian. in l. 3. §. fin. ff. de suis & legitimis. Quod accipiendum est, etiamsi in initio 7. mensis puta, post duos dies sexti mensis, infans editus sit. Beust. tract. de matrim.
5. Majorem 17. annis ad litem procuratorem de jure civili constitui posse arbitramur, l. 1. §. 3. de postulando.
6. Scripturam legis adjunctum necessarium esse concedimus, substantiale autem requisitum pernegamus.

EXERCITATIONUM ETHICARUM

DISPUTATIO II.

Resp. Petro Burchtorff, Lamspringa-Brunsvig. SAX.

T H E S I S I.

Definitionem & divisionem Ethices sic satis pro virili præcedenti exercitatione excussimus. Jam ergo ἐνθαυμονολογίαν
partem

partem Ethices primam, meritò auspicamur: qua cognita felicioribus progressibus, ad ejus media invenienda, progrediemur.

2. Vox boni variè sumitur. 1. *Transcendentaliter*, pro affectu entis, quatenus omnibus entibus, quæ entia sunt, competit, & sic definitur, quod congruat entì & sit convenientia ad appetitum. 2. *Naturaliter* pro bono naturali. Et sic à posteriori definitur seu explicatur: Quod omnes appetunt *Aristoteles 1. Eth. 1. & 10. Ethic.* 2. Res ergò dicuntur appetibiles, quia bonæ sunt, & non ideò sunt bonæ, quia sunt appetibiles. 3. *Spiritualiter* pro absolutè & simpliciter bono, quatenus non hujus, sed alterius est vitæ. 4. *Moraliter* quatenus est perfectio actus cum rectâ ratione.

3. De bono hic agimus morali, quod & varias habet appellationes & encomia: Appellationes hæc sunt: Græcis dicitur: *εὐζωία, εὐτυχία, μακαρισμός, τὸ ἀγαθὸν εὐωρεξία, εὐδαιμονία*, Latine dicitur felicitas & beatitudo. Encomia habet octo. 1. Dicitur *bonum proprium*, græcè *ἀγαθὸν ὀικεῖον*, quod particeps hujus boni, non ab aliis petere cogatur sed sibi habeat, eoque pro lubitu utatur, *1. Ethic. 3.* 2. dicitur *δυσσφαίρετον*, hoc est, difficulter mobile, *1. Eth. 3.* naturâ videlicet bonum est & constans, quod bonum virum firmiter consistere facit, *1. Eth. 11.* 3. dicitur *κοινωνικόν* sui communicativum, *Ethic. 1.* quo enim latius extenditur bonum, & communicatur, eò melius est. 4. dicitur *εὐταρκές*, Se ipso contentum, *1. Ethic. 8.* Non enim quærit allud extra se bonum. 5. dicitur *δι' αὐτὸ ἀγαπητόν*, propter se expetibile, *1. Eth. 3.* 6. *Προσπτόν*, agibile propterea, quod videlicet studio & labore comparetur. 7. non dormientis non calamitosi aut otiosi. 8. dicitur *μὴ βίαιον*. Ne sit violentum, *1. Eth. 3.* Per violentiam h. l. intelligimus vim & fraudes, à quibus debet esse alienissimum.

4. Boni moralis contemplatio, consistit in investigatione essentiali, & rerum concomitantium seu accidentium. Essentia summi boni exprimitur in definitione summi boni, per genus & differentiam specificam, quibus prius cognitis, summi boni essentia facilè patecet.

5. Definitur ergò summum bonum morale, quod sit actio animæ rationalis, secundum virtutem perfectam, in vita perfecta, *Aristoteles 1. Eth. 3.*

6. Genus ergò non est voluptas, non honor, non contemplatio,

NON

non virtutis habitus, &c. sed actio seu operatio. Intelligimus autem per actionem non tantum internam, quæ animo perficitur; sed etiam externam.

7. Differentiæ loco tria ponuntur 1. Quod sit actio non corporis, sed animæ, & non vegetantis aut sentientis animæ: sed tantum rationalis: Nihil enim absurdius est, quam bestias in humanæ *ἑταιροσύνης* societatem adsciscere. 2. Quod sit actio secundum virtutem, id est, tanquam ad regulam & normam virtutis, atque sic non sufficit virtuosa agere; sed oportet virtuosè agere; & proinde non est felix ille, qui ex defectu cibi & potus est temperans, sed qui in rerum abundantia secundum virtutem ijs utitur. Et proinde additur etiam in definitione vocabulum perfectè, per quod virtus non formaliter & abstractè consideratur, quatenus videlicet in comparatione una præstantior sit aliâ: sed ratione sui subjecti, quatenus videlicet illa actio secundum virtutem in homine iam sit studio & labore perfectè & complete acquisita, ac multis actibus corroborata: 3. Quod non contingat quolibet tempore aut modo: sed requiratur vita perfecta, ad quam pertinet *ætas & diuturnitas temporis*. *Ætas*, quia in ætate puerili, cum nondum sit iudicium confirmatum, virtus perfectè acquiri non potest: *Diuturnitas temporis*, quia sicuti non una hirundo facit ver: ita neq; una actio facit beatum.

8. Dividitur summum bonum morale in Theoreticum & Practicum, *Arist. 10. Eth. cap. 6*. Theoreticum est actio secundum virtutem contemplativam: Practicum est actio secundum virtutem moralem: Illius objectum sunt res scibiles, quarum in consideratione mens acquiescit. Et quamvis interdum nihil conducant ad machinas farinarias conficiendas; tamen mens sese acuit atq; inscitiae rubigine animum vacuum exuit: Hujus verò objectum sunt res in hac vita & societate humana peragenda.

9. Subjectum summi boni seu beatitudinis sunt illi tantum homines qui secundum virtutes perfectè agunt, *Aristot. 1. Eth. 9. cap.*

10. Hucusque de essentia summi boni; sequitur jam de ejus existentia. Ad existentiam, splendorem & ornatum summi boni, quæ faciunt, sunt in duplici differentiâ. *Primaria vel secundaria* *Primaria sunt vel animi vel corporis*. *Animi* est bona conscientia, & quæ ex ea oriuntur, tranquillitas atq; lætitia. *Corporis*, & sanitas & pulchritudo, *Arist. 10. Eth. 8.*

11. *Secundaria* in externis bonis consistunt, ut sunt bona fama, honor

honor & rerum omnium præcipuè tamen amicorum atque opum
sufficiëntia & abundantia.

QUÆST. I. *Utrum summum bonum sit
Ethicæ pars?*

Negant hoc quidam hoc fundamento à natura finis desumpto:
Quia finis alicujus rei non potest esse pars ejusdem: Atqui sum-
mum bonum est Ethicæ finis, E.

Contra, quod sit pars, probatur, 1. à natura disciplinarum præ-
cticarum. Hæc enim inchoatur à fine ultimo, siquidem ordine
analytico conscribuntur, 2. ab authoritate omnium auctorum: O-
mnes enim agunt singulari studio de summo bono in Ethicis. E.
Pro decisione quæstionis notandum est, quod summum bonum
sit & finis, & pars Ethicæ, diverso respectu. Respectu enim virtu-
rum, quarum perfectio dicitur, est finis: Est pars respectu sui ipsius,
& quatenus in se consideratur. Atqui sic non est omnium finis,
quæ in Ethica traduntur.

QUÆST. II. *Utrum εὐδαιμονία sit prima pars
Ethicæ?*

Bonum obtinet rationem finis, ut est apud Philosophum in mul-
tis locis. Finis verò obtinet rationem principii in practicis discipli-
nis ut idem *Arist. 6. Eth. 6. asserit*. A principiis autem prius est a-
gendum, proinde quod principia, quatenus principia naturâ prio-
ra sint compositis & effectis: sic enim rectè ad distinctam cog-
nitionem progredimur, ut prius præmittamus illa, quæ nos ad se-
quentium cognitionem ducunt: Atqui mediorem cognitio à co-
gnitione finis dependet: Nemo enim de mediis, quibus calceum
conferre possit, cogitat, nisi propositum sibi habeat calceum: Ne-
mo telum rectè miserit, nisi præfixum suum scopum rectè viderit:
sic nemo de virtutibus cogitabit, nisi beatitudinem, ad quam vitam
suam tanquam ad scopum dirigit, propositam sibi habeat. Ergò
& methodus & ratio suadet, ut in Ethicis à summo bono inci-
piamus.

QUÆST. III. *An sit aliquis actionum humana-
rum finis.*

Qui omnia fortuito & sine agentis dispositione fieri autumant,
in diem vivunt & consultationem nullam instituunt, procul dubio
dari actionum humanarum finem negabunt. Quod si ergo nullus
sit actionum humanarum finis, frustra ergò de summo hominis
bono hic disquiritur, cum non entis nullæ sint qualitates. Sed nihil
est, quod vercaris? Deus enim & natura nihil fecerunt frustra, Cum
ergò

ergo omnes res conditæ sint propter finem, utique & homo suum habebit finem. Nam quò reliquis rebus est præstantior, tantò præstantiorem etiam habebit finem. Finis enim dignitati ipsius rei omninò respondere debet, Neque est, quod cuncta fortuito fieri putas: quia fortuna nihil est aliud quam ignorantio verarum causarum: Hinc rectè & non ens & privatio appellatur. *Scalig. Exerc. 188.* Atqui hinc infero: Quod à non ente nihil naturaliter possit proficisci, à & mera privatione non possit ens positivum oriri. Adde & hoc: quod fortuna sit res planè incerta, à quo summum bonum, quod est firmum atq; stabile, dependentiam suam habere non potest. Concludimus ergò dari actionum humanarum finem, cumq; non à fortuna, sed ab homine tanquam causa adæquata comparari.

QUÆST. IV. *Vtrum detur ultimus actionum humanarum finis?*

Quod si detur aliquis actionum humanarum finis, ut demonstratum est, summum etiam & ultimum dari necessum est. Nam cum in finium diversitate, unus semper propter alium expetatur, necesse est dari talem, qui non propter alium, sed propter se expetatur, & propter quem omnia 7. *Ethic. 2.* Aliàs enim mens nostra in infinitum progredieretur, imò esset vaga atque irrita, nec haberet, quo tandem requiesceret, Atqui absurdum est, appetitum nostrum finaliter frustrari. Ergò absurdum & prius, *Arist. 1. Ethic. 1. Colleg. Conimb. disp. Eth. 2. q 3. Picol. grad. 9. cap. 4. 2.* Præterea ab adjunctis probatur. Illud enim in quavis actione est ultimum, in quo est acquiescendum & in quo ultra procedere non possumus. *Aristoteles 1. Ethic. 2.* Atqui tale quid est summum bonum. E. 3. à genere. Quia res omnes agunt propter finem ultimum. E. & homo. Esset enim absurdum omnibus rebus finem ultimum attribuire & homini denegare.

QUÆST. V. *Vtrum bonum id rectè dicatur esse, quod omnia appetant?*

Aristot. 1. Eth. 1. statim in frontispicio generalem boni præmittit definitionem talem: *Bonum id esse, quod omnia appetant.* Quam 10. *Eth. 2. & mag. Moral. cap. 1.* iisdem verbis repetit. Sugillare autem cœperunt illam primò hoc modo, quòd multa appetantur sub specie mali. Deinde etiam tali ratione: Quod pugnet hæc assertio cum sacra scriptura, & præsertim cum illo Moysis. *Cor hominis pronum est ad omne malum, Item sumentum cordis humani malum est ab adolescentia. Item, quod regenerati quotidie proni sint ad peccata.* Atque sic aliam statuunt definitionem boni, quod videlicet bonum

bonum sit id nominandum: quod natura absolutum est. Sed vanum & falsum est, quod primò obicitur. Nam impossibile omninò est, rem malam appeti sub specie mali, appeteretur enim sic absolutè malum, quod contra naturam hominis est, quæ sui conservationem appetit, & se studio non it deperditum. 2. Deinde ut facultas animæ appetitivæ rem appetat, necesse est, ut moveatur ab aliquo bono, sive hoc sit verum bonum sive apparens, hoc non statim animadvertit. 3. Quod voluntas nostra tantum illud possit, cui intellectus assentitur. Atqui impossibile est, intellectum nostrum assentiri falso, ut falso. Ergò æquè impossibile erit, voluntatem nostram velle malum, ut malum. Quod enim in intellectu falsum dicitur, hoc in voluntate malum nuncupatur. Inde tritum Jureconsultorum proverbium ortum est. *Quod ea facta, quæ ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum sit, l. 15. ff. de conditionibus institutionum.* 4. Accedit hùc, quod malum secundum Plot. *Ennead. 1. lib. 8. cap. 1.* & *August. 11. de Civ. Dei, cap. 9.* privatio sit. Atqui hinc non obtinebit ullam facultatem & vim ad voluntatem nostram per se movendam. Quod verò rationem attinet ex sacris desumptam; respondeo, illam non adversari nobis. Nam ea mala sub ratione bonorum apprehenduntur, uti demonstratum. Manet proinde Aristotelis sententia vera, & pro decisione quæstionis inter bonum, verum & apparens cum *Scalig. exerc 307. sect. 4. distinguendum est.*

QUÆST. VI. *Vtrum bonum consistat in appetibilitate?*

Ad datam quæstionem proxima hæc insequitur controversia, utrum tota natura boni collocari debeat in appetibilitate. Vel utrum antequam quid appetitur, non sit bonum. Affirmat id *Thom. part. 1. q. 5. artic. 1.* Verum aberrat: Nam quamvis tò appetibile cadat in bonum, posterius tamen illo est & perinde se habet ad bonum, ut visibile ad colorem: Sicut enim color suam habet existentiam antequam oculis cernitur: sic bonum suam habet & *Cicero* antequam appetitur. Et hinc res dicuntur appetibiles, quia bonæ sunt, & non ideo sunt res bonæ, quia sunt appetibiles. Bonum igitur prius est & existit antequam appetitur. Plura de hac quæstione vide apud *Fonssecam, 4. Metaph. c. 2. Capreol. 2. sent. q. 3. Ferrar. 1. contr. gent. c. 37. Picol. gr. 8. phil. moral. c. 1. & seq. Magir. in 1. cap. 1. Eth. Finck. Schedias. 77. part. 1.*

B 2
QUÆST.

QUÆST. VII. *Vtrum summum bonum in operatione
virtutis collocandum?*

Hac de quæstione tot olim extitère opiniones, quot hominum capita. Unde etiam factum, ut *Picolomineo* referente, grad. 9. c. 4. *Varro* 288. numerarit opiniones: quas *Philosophus* reduxit ad sex classes, cujus vestigiis insistentes, ut veritatem venando comprehendamus, hoc utemur progressu, ἐὺδαιμονίας, vel est voluptas, vel honor, vel contemplatio, vel virtutis habitus, vel divitiæ, vel actio seu operatio secundum virtutem. Quæ propositio ideo debet censerī sufficiens, quod præter recensitas nulla insignis contra præsentem quæstionem existat opinio. 1. Quia antea demonstratum quòd summum bonum sit ἀγαθὸν διαφαιρόν. Voluptas verò est res inconstans, id quod non tantum jam dudum reddidit comprobatum experientia, verum etiam sensus ipsi satis luculenter id confirmant. Tot enim calamitatibus homo in hac vita est subiectus, quæ non tantum voluptatem interturbant, sed etiam sæpius omninò tollunt. 2. Præterea acquiritur summum bonum tantum per hominis laborem. Ad voluptatem verò interdum per incertos fortunæ casus, omnique generis malas artes & modos inhonestos pervenitur. Unde etiam malis sæpius melius esse solet, quam bonis. 3. Ad do quod voluptas etiam sit res violenta, origine & operatione: Origine, quatenus per vim ac fraudes ad eas pervenitur: Operatione, quatenus vim sibi metipsi, qui ea fruuntur & proximo suo infert. 4. ab inductione: Voluptas enim est vel corporis, vel animi *Aristoteles* 7. *Eth. cap. ult.* Atqui neutra est summum bonum. Non in voluptate corporis: 1. quia summum bonum est ἀγαθὸν οὐκ ἐόν humanis tantum proprium & non cum bestis commune. 2. Quia talis voluptas potest stare cum maximis vitiis, est homini naturalis, & laboribus non acquiritur, enervat virtutem & omninò tollit. Voluptatem animi quod attinet, licet cum summo bono sit connexa, non tamen est ipsum summum bonum; sed ejus tantummodò affectio: non principium internum; sed signum summi boni subsequens. E. & c. Honor non est. 1. Quia summum bonum est ἀγαθὸν οὐκ ἐόν bonum proprium 1. *Eth.* 3. Atqui honor honorantis potius est quam honorati. 2. Honor non est bonum διαφαιρόν stabile. Cernimus enim quosdam homines interdum honorari interdum non honorari, & à quibusdam tantum honorari, à quibusdam non honorari: Sic videmus præter meritum sæpè honorem

rem facili momento mutari & evanescere, uti etiam præter meritum multos honore affici. 3. Quia honos propter se non expetitur, non est bonum *δι' αὐτὸ ἀγαπῆτον*. Nam sæpius qui honores sectantur id faciunt, ut virtute præditi videantur. 4. Non sola hominis industria & labore comparatur. Sæpius enim accidit, ut immeritos propter opes, potestatem vel quendam externum splendorem honore afficiamus. 5. Quia honor est affectio summi boni. Ergo non potest esse pars. *Non est contemplatio*: 1. Quia practicum hic quarimus, non speculativum. 2. Quia speculari etiam possunt & mali. Per speculationem non datur frui bono, sed per operationem. De idea Platonica duplex est Philosophorum sententia. Nam nonnulli statuunt, Platonem sensisse, omnium rerum ab æterno fuisse ideas, quæ essent formæ essentielles & universales per se alicubi extra intellectum & sua singularia existentes, ad quarum exemplar & similitudinem res singulares essent formatae. Inde dicunt Platonem sensisse, omnium bonorum singularium ab æterno extitisse communem ideam, à qua reliqua bona suam habeant originem & in cuius contemplatione summum bonum sit positum. Quod si ergo ita sentit, merito ejus opinio, tanquam absurda & ridicula rejicitur. Quidam vero statuunt Platonem per ideam intellexisse ipsum Deum, à quo, quicquid bonum est, suam trahit originem atque sic in hujus ideæ contemplatione, summum bonum esse positum, & proinde hominem tum esse beatum, si ad illius separatam videlicet Dei cognitionem pervenerit. Et sic tantum de bono Theologico non verò de Philosophico Plato sentit. Quare in idea Platonica summum bonum collocari nequit. *Acciaol. l. x. cap. 6. Piccol. gr. 9. c. 24. Casus in spec. lib. 1. c. 6. Virtutis habitus non est.* Fundamentaliter quidem virtus est summum bonum tanquam causa proxima, ex qua immediatè exsurgit, sed formaliter non est, siquidem non in possessione, sed in usu, non in habitu, sed in operatione consistit, *1. Nicom. 8.* Atqui propterea in habitu virtutis non consistit, quod habitus inesse possit otioso ac dormienti. 3. Quod virtutis habitus non propter se expetatur, sed quatenus pariat laudabiles effectus. 4. Et non secus ut in Olympicis ludis non robustissimi & pulcherrimi coronabantur, sed qui certabant & hostes vincebant: Sic ex honestis & virtuosis iis felicitate frui datur, qui virtutem in suum ac proximi commodum vertunt. *Non divitiæ.* Non enim propter se acquiruntur divitiæ, sed ejus, quem in vita humana præstant, usus gratia. 2. Sunt bonum violentum, non tam ratione acquisitionis,

sitionis, quam operationis. Relinquitur ergò, ut *ναδ' ἀρετή* secundum remotionem enumeratarum specierum, tanquam errorum scopulis elisis & evitatis ad veritatis portum perveniamus, & summum bonum in actione virtuosa collocemus, Idque non tam propter auctoritatem Aristot. 1. *Eth.* 5. 2. *Eth.* 3. 7. *Eth.* 3. Item 1. *Eth.* 7. 8 & 2. *magna Moral.* 3. quam propter rationes solidissimas. Perfectissimum enim bonum requirit etiam perfectum quoddam, in quo debeat collocari: Atqui tum demum res perfecta iudicanda, cum in actu existit, operatio enim sive actio in rerum humanarum censu est præstantissima, quæcunque enim in homine sunt, propter operationem sunt. Atque sic etiam virtutis habitus, cum propter actum sit, necesse est actionem præstantiorem esse ipso habitu, propterea quod semper id sit præstantius, cuius gratia aliud est. Et quamvis operatio seu actio sit virtutis effectus, & proinde inferri possit, quod virtutis habitus tanquam causa præstantior sit sua operatione tanquam effecto propterea, quod impossibile sit, ut effectum sit præstantius sua causa: Tamen quia hic operationem non consideramus tanquam effectum, sed tanquam causam formalem, ad summum bonum præstantiorem eo nomine actionem esse habitum virtutis, iudicamus. Atque sic verum quidem manet axioma Philosophicum, quod videlicet nullus effectus, qua effectus sua causa in eo genere & respectu sit præstantior; Interim certo ordine & respectu certo, effectus sua causa præstantior esse potest, non quidem qua effectus, sed qua causa alterius ratione sui.

QUÆST. IIX. *Verum voluptas omnino adsit à summo bono?*

Non hinc brutam illam voluptatem sensus nostros afficientem, ex bona corporis constitutione, valetudine, cæterisque bonis fortunæ dependentem intellectam voluimus. Sed illam quæ ex virtutum actione efflorescit, intellectum nimirum mirificè afficit & hominis est propria: De qua sic statuendum esse asserimus. Quod absque eius congressu, summum bonum non sit, & actio virtutis perfecta, absque iucunditate nunquam inveniatur: sed hac ratione argumentari non licet. Ergò ipsa voluptas est summum bonum. Quæ consequentia non valet, ac perinde est si argumentarer hoc modo: Cæsar in suo sacro palatio & solio constitutus nunquam est sine consiliariis suis. Ergò consilarii sunt in se Cæsar. Vel studiosus non potest esse sine libris, ergò libri sunt studiosus. Relinquitur ergò quod voluptas sit affectio quædam cum summo bono

EQM

conjuncta, sed non ejusdem pars aut essentia. Atq; sic de cæteris adjunctis & concomitantibus summi boni sentiendum esse putamus.

QUÆST. IX. *Vtrum talis operatio virtutis perfectæ, prout est continua & interrupta, possit cadere in hominem?*

Cum homo indefinenter & perpetuò non operetur, sed alternis vicibus tantum, & laboret & quiescat. Qui quæso talis virtus in hominem cadere potest? Nonne Deus ipse diem labori, noctem verò quieti destinavit? Annon Deus ut actus purissimus & simplicissimus, ob absolutam suam perfectionem solus agendo nunquam deficiat? Nonne angeli & beati indefinenter Jehovam sunt collaudaturi & perpetuò Sanctus cantaturi? Sic sanè res sese habet: Nulla proinde cadit in hominem perpetuatio & *continuatio numerica, sed tantum specifica*, hoc est, ut homo non è virtutum tramite in vitiorum semitam exorbitet, sed perpetuo tenore virtutem colat, & secundum eandem actiones suas instituat.

QUÆST. X. *Vtrum summum bonum homo in hac vita assequi possit?*

Si hominis in hac vita misera est conditio, uti revera est! Homo enim nihil aliud est quam sperma fœtidum, succus stercorum, & cibus vermium, item imbecillitatis exemplum, temporis spoliolum, fortunæ lusus, inconstantia imago, invidia & calamitatis trutina, uti D. Bernhardus in meditationibus suis, cap. 3, & Aristoteles apud Stobæum rectè hominem depingit. Quæ ergò poterit homini in hac mortalitate contingere felicitas? Quod summum bonum? Quæ bona expectanda homini in vita fugaci? *Lactant. lib. 6. cap. 9. de vero cultu.* Nonne multa cadunt inter calicem supremæque labra? Nonne ima summis & contra summa imis miscentur? Annon homo omnibus miseriis oppositus? inimicos fortunæ insultus atque tumultus experitur? Annon vita nostra peregrinatio, cursus, pugna? At non in peregrinatione, sed in patria, non in cursu, sed in termino, non in pugna, sed in victoria præmium & corona reperitur? Sed nihil est, quod anheles: gradus felicitatis si consideraveris, res erit expedita: Summum enim bonum *non uno modo, sed & absolute & comparative in suo genere consideratur.* Absolute perfectum bonum in hominem non cadit, propterea quod tale bonum sit infinitum, & appetitum nostrum simpliciter & ultimo terminet. Sic neq; cadit in hominem quatenus confertur *vel abstractivè cum bono Theologico, vel concretivè cum statu primævo.* Relinquitur ergò hominem in hac vita summum bonum, *quatenus est in suo gen*

suo genere perfectum assequi, & quidem *non collectivè* quatenus homo est species, *sed distributivè* quatenus est individuum. Nam de quo dici potest quod vivat, & secundum virtutem agat, de illo etiam dici potest, quod sit beatus 1. *Eth. 10.* Atqui id de homine non quatenus est species tantum dicitur, verum etiam quatenus est individuum, Ergò. Fortunæ lubricitatem hic non attendimus, cujus tanta vis esse non potest, ut virum bonum ab honesta sua actione dimovere posset, & ex beato miserum facere: sive blandiatur Zephyrus, sive fremat Boreas, vir bonus nihilominus animum gerit præsentissimum in omni fortuna & magis virescit vulnere virtus, & ceu palma pressa sese erigit.

QUÆST. XI. *Utrum adversa fortuna beatum possit reddere miserum?*

Negamus & quidem propter definitionem miseri. Miser enim ille dicitur, qui est expers ingenii, plenus vitiorum & animo abjectus. Atqui beatus est sapiens, prudens, fortis, virtutis amans, E. Pro declaratione quæstionis 1. Vocabulum miser est distinguendum. Sumitur enim tripliciter, 1. pro inope & bonorum seu facultatum experte seu paupere. 2. Pro homine impatientis animi. 3. pro homine vitiiis dedito. 2. Distinguendum est inter Essentiam beatitudinis & ejus ornamentum. 3. Inter felicitatem popularem in bonis externis consistentem, & inter felicitatem propriè sic dictis. Quibus distinctionibus præsuppositis facilè ad contraria argumenta responderi potest.

QUÆST. XII. *Utrum ante mortem quis verè beatus dici queat?*

Solon legislator Athentensium, unus è septem sapientibus, disertis verbis scribit: *Neminem ante ultimum diem debere dici beatum*: In qua sententia fuerunt *Euripides, Sophocles, Dionysius, Simonides & Herodotus*, referente *Picolom. gr. 9. c. 30.* Et rationem afferunt, quod felicitas non tantum inchoationem summi boni requirat, verum etiam exitum vitæ fortunatum postulet, de quo, cum nemo, dum vivit, certus esse possit, felicem ante obitum neminem appellandum. Nos contrarium asserimus. Et argumentum oppositum invertimus hoc modo: Si post ultima fata aliquis dici beatus mereatur, propter vitæ ante aetæ felicitatem, multo magis dum vivit & fruitur summo bono beatus est appellandus. Atqui prius verum est, E. &c. Nam uti aqua, calida tunc dicitur, quando adhuc calor aquæ inest, ubi vero marcessit calor, aqua non amplius calida dicitur: Sic homo tunc debet nominari felix, cum summo bono

bono adhuc utitur & fruitur, non autem dum eo privatus est. *Pro decisione* quæstionis, distinguendum putamus inter *esse felicem* & *pronunciari felicem*. Et quantum ad posterius tenendum est hoc, quod quis pronuncietur felix dupliciter, *Intensivè*, vel *Extensivè*. *Priori* respectu felicem pronunciamus, quemcunque secundum virtutem agentem: *At posteriori* modo neminem, nisi finaliter in hac felicitate perdurantem. Et sic secundum illum, quemvis virum bonum ante obitum dicimus felicem: Secundum verò hunc: neminem tutò dixeris beatum, nisi post mortem.

QUÆST. XIII. *Verum summum bonum morte hominis aboletur?*

Pugnant inter se Ethici de duratione summi boni; Quidam sunt in ea opinione, summum bonum etiam post mortem hominis permanere & probant, quod dicunt. 1. Quia anima non aboletur, quæ est causa efficiens summi boni. E. &c. 2. Quia summum bonum est actio animæ rationalis 3. auctoritate *Aristot. 1. Ethic. 11.* docentis, res posterorum pertinere ad ipsos defunctos, quæ si bonæ fuerint, quod illustrarent defunctorum felicitatem, si verò malæ, quod tunc obscurarent. Inde sequi putant summum bonum permanere etiam post mortem; nam id quod non amplius est, obscurari & illustrari amplius non potest.

Contra aboleri summum bonum morte hominis probatur. 1. Quia est politicum & civile. Ergo, quatenus homo tanquam membrum politicæ cessat, eatenus etiam cessat ejus summum bonum. 2. Quia summum bonum acquiritur & obtinetur actionibus civilibus & mundanis. Est enim actio animæ rationalis secundum virtutem perfectam in vita perfecta. Ergo, cum actiones hæ civiles cessant, cessare etiam summum bonum, necesse est. 3. à testimonio *Aristot. 12. Met. §. 39. dicentis*. Summum bonum exiguo tempore nobis competere. Item 3. *de anima, §. 20. ait*: in obitu scientiam omnem aboleri, quia anima sine phantasia nihil intelligit. *Picol. gr. 9. c. 31.*

Pro *Decisione* quæstionis. 1. distinguendum est inter summum bonum Theologicum & Philosophicum: Illud quod attinet non clauditur terminis hujus mundi, sed perficitur. Hoc verò aboletur. 2. Distinguendum inter abolitionem essentialem & rerum concomitantium: aboletur summum bonum politicum, quoad essentialiam, manet quoad memoriam & rationem rerum concomitantium, ut sunt bona, fama, opes, sumptus, filii, cognati. Negandum igitur omninò est sufficere ad summum bonum in hac vita ani-

nam tantum, requiritur & totus homo, & vita politica, & alia. Fortunas posterorum quod attinet, nullo modo felicitatem defunctorum immutant, quamvis illustrent, fortunæ enim vis à viventibus non potest auferre beatitudinem. Ergo neque à mortuis.

QUÆST. XIV. *Vtrum in bruta & pueros cadat summum bonum?*

Utrumque negandum est. Non in bruta. Est enim operatio animæ rationalis, 1. *Eth.* 7. item est bonum divinum, 1. *Eth.* 9. Et quamvis cuius rei sint sui certi fines, & brutis etiam insint suæ operationes, eæque subordinatæ: Non tamen propterea assequuntur summum bonum, quia in illis deficit ratio, quæ est directrix actionum. Atqui, cum naturâ operationes suas non intelligant, utique etiam veram *εὐδαιμονίαν* non assequuntur. Puerorum verò alia est ratio. Illis enim non omninò naturâ denegatur felicitas, sed κατὰ τὴν quippe, ratione ætatis, atque sic quoad actum tantum, non verò quoad *δύναμιν*, summum bonum ipsis denegamus.

QUÆST. XV. *Vtrum bona natura & fortuna requirantur ad summum bonum?*

Si ad fortitudinis actiones requiratur sanitas, & robur corporis arma, vel cætera instrumenta: Ad liberalitatem exercendam opera & facultates: Ad tranquillitatem & lætitiâ animi, bona conscientia: Ad Rempublicam regendam & defendendam potestas, authoritas & rerum gerendarum abundantia, utique bona illa necessariò requiruntur ad summum bonum. Contra constat, nullum posterius esse de essentia prioris: Nullum externum de essentia rei. Item quod abesse & adesse potest non esse de essentia. Proinde certum est, secundum virtutem agere posse, non tam divitem quam pauperem, non tam sanum quam infirmum, non tam formosum quam deformem.

Ad instantiam respondet Aristoteles 10. *Eth.* 8. Res adversæ labefactant quidem vitam beatam, sed non tollunt: Sed quomodo? intellige quoad ornatum, splendorem, & usum majorem. Proinde & nos pro hujus quæstionis decisione, distinguimus inter *essentiam & existentiam rei*, Item inter *constitutionem & consecutionem rei*, & inter *quadruplicem considerationem summi boni*. Qua originaliter, qua formaliter, qua fundamentaliter qua concomitanter consideratur: Originaliter est animæ rationalis. Formaliter est operatio virtuosæ. Fundamentaliter est virtutis. Concomitanter est munerum naturæ & fortunæ. Atq; sic ad existentiam consecutivè, tanquam ad signum pertinet honor & gloria. Ad fructum animi tranquillitas, &c.

ZNT

Ζητήματα παρεγγῶς adjecta.

An medium detur inter substantiam & accidens? Negam.

Philosophicè, affirmamus Theologicè.

1. Philosophicè sic progredimur *Quicquid est, fuit aut erit, id vel est substantia vel accidens aut nihil.* Sic quat. aliquid distinctum est, id vel substantia vel accidens sit necesse est, Zabar. l. de facultat. anim. cap. 8. Perer. l. 6. Phys. cap. 6. Boëtius lib. 1. de Trinit. adversus Sim. Theologicè contrarium statuo: Non enim persona in SS. Trinitatis mysterio distinguuntur modaliter sed realiter, (alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti,) nec est modus unionis duarum personarum essentialis aut accidentalis, sed personalis contra Keckermannum in Syst. Theol.

Utrum omnia quæ differunt realiter, differant essentialiter? N.

2. Sequeretur enim sic omnem calorem, omnem humiditatem, siccitatem, omne frigus differre essentialiter. Sic aquam Lani non differre realiter ab aqua Rheni. Quod tamen absurdum ordine naturæ & distantia. Distinguuntur enim omnia, quæ separari possunt realiter, & quæ ab invicem distant, quæ duæ sunt certissima nota differentia realitatis. Et quamvis realitas semper essentialiam suam secum deferat, non tamen est diversa, quamvis sit alia: Sic alia est ratio alienitatis, & alia alternitatis. Errat proinde crasse Keckermannus, qui propterea personas in SS. Trinitatis mysterio non realiter sed modaliter, differre ait. Exit proinde hoc axioma: Omne quod differt essentialiter, illud etiam differt realiter, Sed non contra.

An causa causæ sit etiam causa causati? Aff.

3. Si videlicet causatum vi antecedentis causæ necessario & immediate resultat, & sic in causis naturaliter & per se agentibus. Nego si causa subordinatur & contingenter causatum sequitur, ut non valet: Hic est causa sui filii: Ergo etiam causa est perditionis ejus & luxus. Sic non sequitur, Deus est causa voluntatis, E. est causa mali resultantis ex voluntate. Voluntas enim non mala necessario facit quatenus à Deo, sed per aliud medium & ex contingenti ratione defectus.

Utrum magistratus, an verò subditi prius fuerint?

4. Non respicimus hic magistratum & subditos ut relata: Sic enim ut constat ex natura relatorum coram ortus & abortus habent periodum. Sed consideramus hic utriusq. relati ut relati naturam: Et sic dicimus subditos priores magistratu; Non tantum quid subditis

subditi elegerint magistratum, sed etiam constituerint. Constat enim gentiles reges à populo constitutos, & in sacris reges à Deo esse electos, constitutos à populo, Althus. i. Polit. cap. 15.

5. Injustè reprehenditur Iustinian. Imper. à Bodin. lib. 1. cap. 4. quod dixerit: Nullos alios esse homines, qui talem habent in liberos potestatem quàm populus Romanus, §. jus autem potestatis, inst. de pat. pot.

6. Vtrum sagarum per aquam probatio sit juri consentanea, & ita sufficiens ad condemnandum vel absolvendum. Neg.

7. An verisimile sit lamias certis quibusdam unguentis peruentas, scopis & baculis insidentes, per caminum, aut aliud angustum foramen per aërem volitare, & sic de loco ad alium locum transferri, & Calend. Maji in montem Bructerorum vulgò Bolcksberg, convenire? Placet Negativa.

8. Stillatio sanguinis non est sufficiens probatio homicidii. Menochius lib. 2. de arbitr. Iud. quest. Cent. 3. cas. 270. putat esse iudicium credibile, si videlicet sanguis ex vulneribus stillat, proximo ad cadaver deducto. Id quod Scribonius in Phisiot. uberius confirmat, & sic Romæ observatum esse Menochius lib. 1. presumpt. q. 89. n. 128. restatur. Proinde ad torturam sufficere statuit, Bodin. lib. 2. demonum cap. 3. p. 266. Nobis tamen videtur probanda illorum sententia, qui probationem homicidii id esse negant, cum & iudicium sit incertissimum, Gomez. var. resolut. tom. 3. cap. 13. num. 15. & partim longè ab effectu remotum, quin imò occultum, quod causam manifestam non habeat, Godelm. lib. 3. de sagis, cap. 5. Fieri enim potest, ut sanguis, qui in venis delituit, agitato corpore & venatis oris reseratis erumpat. Lemnius de occult. natur. miracul. cap. 7. Sapiens etiam deprebensum est, occisorum corpora, presente interfectore nihil stillasse sanguinis, & contra sanguinem promanasse, presente dilectissimo & charissimo. Exemplum recitat Libav. in tractat. propr. hac quest. edit. Quod cuidam amica sua assidenti sanguis erupit. Fieri insuper potest, ut Diabolico astu, cadaver inducatur ad sanguinis profluvium, ut maxime noceat innocenti. Cum ergo tortura sit res maximi prejudicii, quam mors aliquando commitari solet, ut ponit Marsil. in pract. crim. Ergo in re dubia benigniorem sententiam sequendam esse, & justius & tutius esse dicimus; atque hoc in casu, nisi alia indicia simul in promptu sint, melius nocentem absolvere, quàm insentem condemnare, per l.

absentem, ff. de poenis & l. ea
quæ, ff. de R. I.

Discus-

DISCUSSIONUM ETHICARUM.

EXERCITATIO III.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE VIRTUTIS.

Resp. Iohanne Wornisero, Giessensi.

T H E S I S I.

EΤ δαιμονολογία, primā Ethicæ parte absolutā. Ad δρετολογία alteram, quæ est de mediis, beatitudinem consequentibus, rectè progredimur.

2. Media autem obtinendi felicitatem sunt virtutes. His enim veluti gradibus arcem felicitatis ascendimus. Quare cum haud utiliter quispiam rem quandam sectari possit, nisi quid ea res sit, ex quibus principiis oriatur, & quomodo acquiratur, probe noverit: Hæc & sequenti exercitatione, virtutis naturam & essentiam investigabimus.

3. Virtutis vocabulum, non à vi, uti Durando placet. Nulla enim vis seu violentia in virtute est; Sed à viro, quem maximè virtus decet, ductum est, Cic. lib. 1. Tusculan. quæst. δρετή verò vocabulum, vel ἀπο τῆ ἀίρειν à tollendo, quia homines ad summa & maxima elevat & extollit, vel ab ἀρίσκω, placeo: vel ἐρετή, amabilis: Vel ab ἀίρετή quia expetenda: Vel, ἀρετὴ τὸν ἀρετὴν à Marte, unde & mares ita nominati sunt, ortum traxit. Germanis dicitur Tugend à dūgen oder dōgen.

4. Sumitur virtutis vocabulum dupliciter. *Independenter*, & *dependentem*. *Independenter*, pro ea virtute, quæ præ eminentia tantum virtus dicitur, ut quando Deus justus, fortis, sapiens, dicitur.

5. *Dependentem*, non uno sed variis capitur modis: Possunt tamen omnes ad hos duos redigi. 1. Quatenus competat in latissima significatione omnibus rebus. 2. Quatenus tantum competat homini, & sic adhuc latè sumitur.

6. Primo modo adhuc πολύσημον est, & sumitur variè: Interdum pro perfectione essentialis proprietatis alicujus rei, & sic quamcunque inanimatorum vim, seu agendi potentiam denotat, qualis est in magnete ferrum trahente, in igne aurum à scoriis repurgante; Interdum notabiles quarundam specierum proprietates, virtutes dicuntur, ut est aquilæ, plenum solis jubar intuentis; item equi.

equi ad pugnandum ; Interdum effecta alicujus rei virtutem dicimus, utpote demonstrationis virtus, esse scientiam parere, &c.

7. Homini quatenus competit, late sumitur. Tripliciter enim homini inest. 1. *per naturam*. 2. *Per Dei infusionem*. 3. *Per exercitia*. Primo modo intelligitur tantum singularis & eximia alicujus hominis indoles, vel inclinatio ad diversa percolenda studia. Secundo modo intelligitur habitus divinitus infusus, utpote est linguarum, scientiarum, artium, &c. *de quibus Act. 2. v. 4. Exod. 1. v. 2.* Tertio modo intelligitur habitus ex naturalibus & insitis honestatis seminibus, per crebras actiones excitatus. Nobis omnibus reliquis significationibus relictis, de sola posteriori, tanquam de specialissima, hic sermo est.

8. *Definitur*, quod sit habitus animi, quo vir bonus efficitur ad munus suum bene & laudabiliter obeundum, *Arist. 2. ad Nichomach. 5.*

9. Dividitur *ratione subjecti, in intellectuales & morales*. *Moralis est* habitus animi intellectivus, in mediocritate, quoad nos relata, ex ratione prudentis definita positus, *Aristot. 2. Ethic. 6.* Εἰς τὴν δὲ τῆς ἐξ ἡμετέρας ἀρετῆς ἐν μεσότητι ἔσται τῆς πρὸς ἡμᾶς ὡς ἰσομύθη λόγῳ, ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε.

10. *Intellectualis virtus*, habitus animi rationalis, quo mens nostra affirmando vel negando verum enunciat.

11. Contraria seu opposita sunt virtutibus duo vitia, quorum unum in excessu; alterum in defectu positum est. *Excedens* vitium est, per quod homo à virtutis mediocritate ad nimium ascendit: *Deficiens* verò vitium est, per quod homo à virtute ad parum descendit. Et tantum de præceptis; sequuntur quæstiones.

QUÆST. I. *Vtrum Ethnici salvati sint cultu virtutum?*

Statuunt hoc cum *Erasmio in præf. Tuscul. quæst.* *Zvvinglius* in fidei expositione ad Christianum Regem Galliae, quam expositionem *Bullingerus in præfat.* vocat: *Cygnæam cantionem.*

Item *Rudolphus Gualtherus Tigurinus*, in sua pro *Zvvinglio* apologia. Calvinistas multi Jesuitæ secuti sunt, videlicet *Francis. Buchius*, Theologus Moguntinus: Item *Antragijs*, in Concilio Tridentino. Qui omnes virtutes Ethnicorum tantis encomiis ornant, ut & homines in beatorum thronum elevare, valeat, Et probant hanc suam assertionem. 1. à contrario sensu ejus dicti, quod est *Rom. 1.* Qui non vixerunt juxta illud, quod eis manifestavit Dominus, sunt inexcusabiles. 2. Qui vixerunt juxta illud, quod mani-

manifestum est, illi sunt excusabiles: Atqui multi Ethnici vixerunt secundum normam & regulam virtutum, E. &c. Et per consequens sunt cultu virtutum salvati. 3. à dicto *ad Roman. 2. c. 13.* Factores legis justificantur. Atqui gentes sunt factores legis, E. &c. Contra impiam esse hanc assertionem, probatur. 1. à causis nostræ salutis: Ita enim salvantur homines, uti sunt electi, Atqui in Christo sumus electi, *Ephes. 1.* Ergò intuitu Christi tantum salvamur. 2. à scripturæ testimoniis, *Actor. 6. v. 12. c. 14. v. 6.* 3. Quia ipsorum cultus omninò imperfectus & mancus esset. Pro solutione argumentorum virtutum finis est annotandus. Virtuti enim homo debet studere, ut externa disciplina honeste ab ipso possit præstari: Item, ut publica tranquillitas conservetur, & interna vitæ commoda procurentur: Item ut reddantur homines in novissimo die inexcusabiles. Nam cum Ethnici, cultu virtutum noverint Deum & sciverint eum esse colendum, ulterius in media salutis inquirere debuissent. Hic enim & finis virtutum est, ut quæratur Dominus *Actor. 17. v. 27.* Committitur ergò in arg. 1. fallacia causæ. In secundo fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Factores enim legis justificantur, si videlicet legem perfecte adimplent. Distinguendum proinde est inter legem innatam, & à Deo in Decalogo præscriptam. Hæc tamen, non illâ salvamur.

QUÆST. II. *Vtrum virtus Ethica specie & forma differat à virtute Theologica?*

Duplicem invenies hæresin in hac quæstione: Una est in excessu, & altera in defectu peccantium, quarum hæc, virtutes Ethicas peccatum esse asserit. Illa virtutes Ethicas, à Theologicis, non specie, sed gradu tantum discriminatas esse ait. De utraque hæresi ergò nobis hoc loco videndum, & quidem de altera hominum videlicet defectu peccantium hac quæstione disquirendum venit; Quæ jure, nobis cum *Keckerm. in præcog. Ethicis*, item *Templ. in Eth. lib. 1. c. 2.* tanquam defensoribus contrariæ assertionis, litigandum erit. *Keckerm.* quod attinet *in præcog. Eth.* Ita scribit: Est inter virtutes Ethicas & Theologicas distinctio graduum, ita, quod deest virtutibus Ethicis, id per disciplinam Theologicam addatur & compleatur. Et paulò post, sic inquit: Non aliter se habet virtus moralis ad spiritualem, quam se habet tepor ad fervorem, & lux matutina ad lucem meridianam. Sicut ergò tepor est verus calor, etiamsi non sit tantus calor, quantus est fervor, Et sicut lux matutina est vera lux, etiamsi non sit tanta lux meridianam: Ita virtus moralis est per se vera virtus & verum bonum, etiamsi non sit tanta virtus & tantum

tantum bonum, quanta virtus & quantum bonum spirituale seu Theologicum. Hæc *Keckerm.* quem per omnia approbat *Timpl. d. l.* Verum erronea hæc est sententia & minimè approbanda. Et quod in dispendium veritatis vergat, sic evinco: Quia differunt omnibus causarum, tam intrinsecarum quam extrinsecarum, generibus: Quod probo hoc ordine. 1. Quia differunt causa efficientes: Virtutum enim Ethicarum efficiens est, & intellectus rectè iudicans secundum legem naturæ, & voluntas rectæ rationi obtemperans. Contrà virtutum Theologicarum causa efficiens est specialis Spiritus sancti mentem illuminantis, & voluntatem nostram spiritualiter renovantis, operatio. 2. Quia differunt subjecto: Virtutes Ethicæ cadunt etiam in veræ religionis ignaros: Theologicæ tantum in pios & verè regeneratos. 3. Differunt causa formali: Virtutum enim Ethicarum forma est mediocritas, seu convenientia cum recta ratione. Theologicarum forma & anima est fides, quæ sola facit, ut opera sint Deo placentia, *Rom. 14. v. ult. Hebr. 11. v. 6.* 4. Quia differunt causa finali: Ethnici, omnes actiones non ad Dei, sed suam propriam referebant gloriam: Christiani vero propter Deum & ejus gloriam amplificandam, omnia suscipimus. Cum autem quælibet res ex suis causis dijudicandæ veniant, nec possint specie diversas causas, præsertim formales & finales habere, quæ differunt gradu. Nam in iis forma constituens & specifica uti etiam causa finalis utrinque reperitur, licet diverso modo, in altero minus. Concludimus ergo virtutes Ethicas non gradu, sed specie & forma essentiali, à Theologicis differre. Pro decisione quæstionis & conciliatione sententiarum distinguendum putamus: Inter diversam considerationem virtutum Ethicarum. Considerantur enim vel abstractè vel concretè unà cum subjectis inhaerentiæ. Cum ideoque subjectum vitiosum inficiat actiones teste scriptura, *Matth. 15. v. 19. Tit. 1. v. 15.* Ideoque *d. l.* non concretè sed abstractè considerari debere dicimus. Et quia porro abstractè considerantur bifariam, νομικῶς & εὐαγγελικῶς dicimus, quod νομικῶς non differant ἀνωδῶς; sed si διαγγελικῶς, considerentur, dicimus non tantum gradu perfectionis, sed specie & forma ab invicem differre, *Meisner. in Sobr. Philos. p. 471. Christ. Matth. in Prolog. Polit. q. 2.*

QUÆST. III. *Utrum virtutes Ethicæ sint peccatum & toto genere differant à Theologicis?*

Dilabimur jam ad alteram hæresin in excessu peccantium, quæ dicitur omnem vitam infidelium esse peccatum, probant quod dicuntur

eunt hoc modo, 1. à *testim. script. Hebr. 11. v. 6.* Quod sine fide impossibile sit Deo placere. 2. à causa efficiente virtutum Ethicarum; hoc modo: Omnia opera carnis sunt peccatum: Atqui virtutes Ethicæ sunt opera carnis, Ergò, &c.

Contra virtutes Ethicas non esse peccatum, neque toto genere differre à Theologicis, probamus. 1. Quod omne vitium vel peccatum effecti lateat in vitio suæ cause. Impossibile enim est, ut causæ bonæ, effectum malum producant, eum causa & causatum toto genere non differant, sed qualis causa, talis etiam sit effectus: Atqui, si virtutes Ethicæ, utpote sunt, justitia, temperantia, modestia, &c. Essent peccata; sequeretur earum causas esse res vitiosas; sed falsum hoc est, non enim virtutes Ethicæ oriuntur ex carne, sed à jure naturæ & recta ratione, & sic non sunt res carnales, sed naturales, & quidem voluntariæ. 2. Quodcunque legi divinæ est consonum, illud peccatum non est, 1. *Joh 3. v. 4.* Atqui virtutes Ethicæ consonæ erant legi divinæ. E. &c. Duplex enim lex est Dei, alia inscripta, alia præscripta. Illam gentiles observabant, & hujus respectu erant factores, E. non potest esse opus in suo genere malum. 3. Quia virtutes Ethicæ certo respectu habent Deum auctorem. E. &c. Pro decisione quæstionis distinguendum putamus. 1. Inter id, quod bonum & rectum, & inter id quod Deo acceptum & gratum. 2. Inter id quod est per accidens, & inter id quod per se & intrinsecè bonum vel malum. Ad argumenta contraria Resp. ad 1. Quod id fiat per accidens. Ad 2. distinguo inter complacentiam generalem & gratiosam. Hæc quidem sola fidelium opera Deo placent: Ast illa etiam infidelium virtutes. Ad 3. Quod procedat ex falsa hypothesisi.

QUÆST. IV. *Utrum virtutes Ethicorum Deo placeant?*

Duplici ratione virtus considerari potest. 1. ratione essentiali. 2. ratione inessentiali. Ratione essentiali si consideraveris, omninò & per omnia bonæ sunt & Deo placent, non tantum quod & ipsæ à Deo sint, sed etiam quod ex principiis naturalibus deductæ. Porro quod & media sint, ad benè beateque vivendum & discrimen honestorum & turpium. Contra verò si ratione inessentiali ponderaveris, tunc pro ratione individuorum, quibus competunt, placent & non placent Deo. Placent si competunt renatis, & ex fide agentibus: Non placent, si competunt infidelibus, tunc enim non secus ut bonum vinum à vase immundo, ingratum accipit saporem, & eo nomine improbat: Sic contagione quadam asperguntur virtutes infidelium & non renatorum.

impossibile sit Deo placere, *Eb. II. Rom. 6.* Sed etiam, quod non ad Dei gloriam, verum solummodo vel nominis celebritatem, Patriæ emolumentum, &c. diriguntur.

QUÆST. V. *Vtrum quedam notitia à natura nobis insint?*

Qui cum Aristot. intellectum cum tabula rasa, cui nihil inscriptum, inscribi tamen omnia posse, comparant, procul dubio notitias, à natura nobis insitas, inficias ibunt, & quod dicunt, ulterius probant. Quod videlicet nihil possit esse intellectu, quin prius fuerit in sensu, & si essent notitiæ naturaliter nobis insitæ, apparet earum effectus in pueris, quin imò non opus esset, tot legum plaustra condi, si nobis insitum esset discrimen honestorum & turpium. Verum nos illorum opinionem tanquam erroneam rejicimus, & cum sanioribus Theologis & Philosophis contrarium asserimus, his fundamentis. Si Brutis congeneratæ quedam notitiæ, multo magis homini. Atqui videmus pullos timere milvum, non alia ratione, quam, quod cognitam habeant milvi speciem. Sic exhorrescit infans fœda ac terra imagine opposita; contra delectatur pulchra, & si apponantur duo poma uno arrepto, statim petit & alterum. Pro decisione argumentorum adductorum distinguimus inter semina sive igniculos virtutum & inter perfectum & acquisitum habitum. 2. Inter naturalia & spiritualia bona. Insitæ nobis sunt notitiæ tanquam semina & igniculi, non tanquam habitus perfectus; atque sic beneficio illorum igniculorum, omnia illa, quæ sunt naturalia, cognoscimus, non vero quæ sunt, spiritualia.

QUÆST. VI. *Vtrum virtus nobiscum nascatur?*

Res videtur satis manifesta & minus dubia, propterea. 1. quod virtus sit habitus crebro usu comparatus. 2. quod naturalia sint immutabilia, ut lapis assue fieri non potest, ut suâ naturâ sursum tendat. 3. quod earum rerum quæ naturâ nobis insunt, facultatem prius habeamus, quam operationem, quippe facultatem videndi prius habemus, quam ut actu videamus, sic sermonem prius, quam ut actu loquamur, &c. sequeretur pari ratione virtutum facultates nos habere prius, quam ipsam operationem, quod exinde falsum, quia operantes eas adipiscimur. Sequeretur proinde & hoc, omnes homines statim à primis annis virtute præditos, ac proinde non opus esse institutione vel educatione, nemo enim vitiosè ageret, &c. Dubiam tamen nobis illam quæstionem facit Plato: Propterea. 1. Quod hominem perficiat. 2. Quia neq; contra neq; præter naturam insit. 3. Quod veritas, quæ est virtus moralis nobis natu-

naturā insit, dum naturaliter scimus, totum esse majus sua parte; Ergo, &c. Nos pro decisione quæstionis repetimus distinctionem præcedenti quæstione positam, & ad contraria argumenta respondemus. 1. quod virtus non essentialiter nos perficiat, sed moraliter. 2. Quod insit per acquisitionem. 3. Quod universalia illa, naturā nobis sint cognita.

QUÆST. VII. *Utrum virtus sit habitus?*

Affirmativam quæstionis hujus ambabus amplectimur manibus: Ad cujus probationem cum *Aristor. 2. Ethic. 4. & M. M. 7.* κατ' ἀρχῆς progredimur: Et hoc extra dubitationis aleam posito: Virtutem in anima, non in corpore residere, sic argumentamur: Virtus aut est πάθος, patibilis qualitas? aut est δύναμις potentia naturalis? aut ἔξις habitus. Quæ propositio ideò vera censerī debet, quia hæc tria tantum in animo inveniuntur tanquam actionum principia, & quamvis animo plura insint, utpote ἐνέργεια, & κινήσεις operationes, notiones, ac primi motus, non tamen sunt actionum principia. Atqui πάθος non sunt: πάθος enim non dicuntur ipsi affectus, sed affectuum operationes, ut est actualis ira, amor, &c. Et sunt nihil aliud quàm subiti & repentini animi motus, sine præcunte consilio excitati propter quos neq; boni neque mali dicimur, neq; laudamur, neq; vituperamur, sed vehementer ab illis movemur & perturbamur, quæ omnia in virtute, contrario sese habere modo, constat. Non est δύναμις, quia inest nobis naturā, & neq; reddit nos bonos, neq; laudabiles. Relinquitur ergò quod sit ἔξις, qualitas crebris actionibus comparata, idq; latius probatur ex iis, quæ ad naturam habitus spectant, ut sunt, 1. φύσις naturæ aptitudo: Ad quod enim naturā inepti sumus, nunquam per habitum acquirimus. 2. μάθησις præceptorum perceptio, quibus ceteris mediis comparatur. 3. ἀσκησις crebra præceptorum praxis. Quæ tria uti in cujusvis habitus, ita quoque in virtutis generatione sunt necessaria, ut si quis cibo ac potu moderatè uti discat, sæpius etiam moderatè fuerit usus, fit, ut moderata ista actio sæpius repetita naturæ arridere incipiat, ita ut postmodum cum voluptate temperanter vivat, & tam defectum quàm excessum, quàm maximè aversetur; id quod certissimum virtutis signum.

QUÆST. IIX. *Utrum fœmina sint virtutum capaces?*

Fœminas in multis juris articulis deterioris esse conditioni

quàm mares, patet *ex l. in multis, ff. de statu hom.* Imò de jure divino, *Gen. 3.* sunt sub potestate viri, *1. Tim. 2.* docere non possunt, *1. Cor. 14.* Taceant in Ecclesia, *1. Tim. 2. &c.* Hominis tamen appellationem rectè merentur, tam de jure civili quàm divino, *l. 15. de V. S. l. 3. §. 1. ff. de lib. hom. exhib. l. 3. §. 1. ff. unde legitimi Gœd. tractat. de V. S. in l. 1. n. 30. & 31. & seq. Harprecht. de publ. jud. ad §. item lex Cornelia contra Cujac. 6. observ. 21.* Non ergò fert animus mulieres omninò ab exercitio virtutum excludere: Præsertim cum consuetudine quorundam locorum, ad gubernandas Respublicas admittantur, *Lips. 1. libr. Polit. cap. 3. Piccol. gr. 6. cap. 10. Cas. libr. 1. Polit. cap. 3.* Et quotidiana experientia evincit, non tantum piissimas, castissimas, temperatissimas, prudentissimas olim inventas, verum etiamnum tales inveniri matronas: Hoc tamen ipso non in pari cum maribus gradu sunt, sed aliquantulum remissiori; propterea quòd optimas rationes rarius invenias, quàm viros optimos, cum propter exuberantiam caloris animi & corporis fortioris in viris tum propter humorum imperfectionem in foeminis sensuum ruditatem, corporis mollitiem, animi lubricitatem & inconstantiam, judicii & consilii defectum, *Tiraq. lib. 1. Con. n. 70. & seqq.* Unde mulierum genus perpetuis fragilitatibus obnoxium & imbecille, *lib. 1. ad SC. Vell.* Est avarissimum, *Tiraquell. lib. 9. Con. n. 44.* ita ut pro miraculo habeatur, si mulier donaverit, *Bald. l. si à sponso, C. de don. ante nupt.* Omnes ferè sunt plenæ rimarum, sunt loquaculæ, argutulæ linguaces, loquaces, locutulæ, largiloquæ *juxta Plaut.* imò proprium mulierum est semper garrere, *August. de C. D. cap. 19.* Portia Catonis filia ultrò fatetur, mulieribus impossibile penè videri arcana reticere, *apud Plutarch. in Cat.* Nec dissimulat hoc ipsam Eunomia *apud Plaut. in Aulul.* ingenuè enim rem confitetur his verbis: *multum loquaces merito omnes habemur, nec mutam profectò repertam hodiè dicunt mulierem ullo in seculo:* usque adeò rara avis est in terris foemina, quæ fidei concredita, non propalet, *Bald. in leg. quoties, C. de suis & legit.* Nihil dicam de superbia, quam ut foeminæ propriam profert *Petrarch. lib. 2. de remed. utr. fort. dial. 42.* de crudelitate quam depingit *Arist. 9. de hist. animal.* de perjurio & dolo, quod huic sexui admodum familiare. *Vide Alber. in lib. 4. C. de Sponsal. Bart. in l. Pater. Sever. §. socrus, ff. de condit. & demonstrat.* Unde non immeritò, non in pari cum maribus gradu sed in remissiori, foeminas ratione virtutum collocandas esse, arbitramur.

QUÆST.

QUÆST. IX. *Vtrum virtutes rectè dividantur in
intellectuales & morales?*

Varia virtutum extant divisiones, ut videre est apud Laërt. lib. 3. & 7. de vita Philos. Nos omnibus aliis rejectis, veram & rectam adeoque toti diviso adæquatam dicimus illam, quâ virtutes in intellectuales & morales dividuntur. Sententiam nostram probamus ab objecto & fine virtutum hoc modo: Quot sunt facultates in homine, quæ corrigi debent & ad perfectionem redigi, tot etiam species virtutum sunt faciendæ: Atque duæ sunt in homine facultates, intellectus videlicet & appetitus. Ergo, &c. Homo enim dupliciter consideratur, quatenus Homo & quat. animal, posteriori modo naturam habet cum bestiis communem, & sic naturaliter fertur ad id, quod est corporale & sensibile, adeoque pronus est ad omne malum. Priore vero modo, homo habet naturam intellectivam, & sic naturaliter fertur ad ea, quæ sunt intelligibilia, & sic potest bona institutione præcedente parare sibi scientiam omnibus numeris exquisitam. Utroque modo homo medicinâ, quâ ad perfectionem reducitur, indiget, & quia virtutum moralium finis proprius & principalis est mederi appetitui, virtutum intellectualium vero finis reducere intellectum ad priorem, in qua conditus & creatus erat à Deo, scientiam; consequens est, hanc virtutum divisionem esse veram & rectam, adeoque toti diviso adæquatam. Neque obstat, quod divisio nostra non complectatur omnes & singulas virtutes, utpote; virtutem heroicam, fidem, gratiam, scientiam, quæ fuit in Adamo & Salomone, continentiam, tolerantiam, &c. Distinguendum enim est inter virtutes infusas & acquisitas; & inter perfectas & minus perfectas. Non enim de virtutibus divinitus infusis, sed tantum de acquisitis; & non tam de imperfectis, quales sunt tolerantia & continentia, quam de perfectis, Ethicus agit, & quidem non studio subtilitatis sed melioris cognitionis & sui perfectionis ratione.

QUÆST. X. *Vtrum pugna rationis & appetitus in homine
sit naturalis, an accidentalis?*

Cum homo quat. animal, feratur ad corporale & sensibile bonum, & non conveniat cum homine, quat. est intelligibilis & rationalis, non immerito quæritur: Unde illa pugna rationis & appetitus in homine. Et quamvis invenias quosdam, qui naturæ primæ illam adscribunt, adeoque pugnam illam naturalem faciunt: falsam tamen & erroneam imò blasphemam esse illorum opinionem vel ex hoc unico fundamento plusquam manifestum est. Nam

si præceptis ista ad vitia inclinatio naturæ à Deo sic conditæ adscriberetur, utique hoc factum esset, vel præter intentionem Dei vel ex intentione: Atqui utrumque est absurdum, impium & blasphemum. Priore enim modo infirmitatis Deum omnipotentem arguis: posteriore verò, Deum qui hominem ad imaginem suam creaverat, autorem peccati statuis. Sequitur ergo pugnam istam non naturalem sed accidentalem esse. Et quamvis homo constet duabus illis partibus diversissimis, corpore videlicet & intellectu; ita tamen à summo opifice Deo Ter. Opt. Max. unitæ & in tali concordia colligatæ erant, ut in statu integritatis nulla lucta, nulla concertatio coorta. Est proinde illa discordia & pugna rationis & appetitus ipsi Diabolo adscribenda. Opera enim Diaboli per lapsum primorum nostrorum parentum hominis partes ita sunt dissectæ, ut exinde perpetua illa pugna rationis & appetitus in solidum dependeat.

QUÆST. XI. *Utrum subjectum virtutum moralium sit appetitus sensuum, an verò voluntas?*

Satis acriter disputatur inter Ethicos de subjecto virtutum moralium, uti videre est apud Piccol. d. gr. 4. à cap. 7. usque ad cap. 15. Appetitivam facultatem subjectum virtutum moralium faciunt plurimi, quorum rationes & argumenta vide apud Piccol. d. gr. Nos verò contrarium statuimus & virtutes morales non in subdita, at obediante parte animæ, sed imperante rationali parte, quærendas esse asserimus, idque propter sequentes rationes. 1. Quia virtus moralis est & definitur habitus. *ἡ ἀρετὴ ἦθος*. Atqui *ἡ ἀρετὴ* non appetitui sensuum, sed intellectui competit. 2. *Ἠθ. 6.* 2. Quia intellectus non tantum ignorantia (cui medentur virtutes intellectuales) verum etiam dominii ademptione in appetitum, corruptione & depravatione intellectus & voluntatis (cui corruptioni resistunt & dominium restitunt virtutes morales) est vitiatus: Ut igitur & intellectus & voluntas à suis vitiis corrigantur & intellectui ad domandum appetitum ferantur suppetitæ, virtutibus intellectum imbutum esse oportet. 3. ab absurdo. Si enim appetitus esset subjectum inhesionis virtutum moralium, sequeretur etiam bruta animalia esse virtutum capacia. Atqui consequens est absurdum. Ergo, &c. Pro decisione quæstionis & resolutione argumentorum, quæ in contrarium adduci possunt, distinguendum esse putamus, inter subjectum inhesionis & operationis. Qua distinctione libenter concedimus, appetitum esse subjectum virtutum moralium; verum non inhesionis, sed operationis. Sunt enim virtu-

virtutes morales circa appetitum moderandum occupatæ. Quo etiam respexit Aristoteles, quando virtutes intellectuales intellectu: Ethicas verò vel morales appetitui assignavit. Illas enim consideravit quatenus subiectum suum inhæſionis afficiunt. Has verò, quatenus operando foras progrediuntur & facultatem appetitivam moderantur & perficiunt.

QUÆST. XII. *Utrum qualibet virtus inter duo extrema consistat?*

Res per se est manifesta ex definitione virtutis moralis, 2. *Eth. 6.* Est enim *μεσότης* ipsa forma interna virtutum moralium, qua sublata, pessum ire cogitur formatum. Interim tamen magnanimitas, magnificentia, virtus heroica & iustitia bellum nobis pariunt. Nemo enim potest esse nimis iustus, nimis magnanimus, magnificus, &c. sic iustitiæ sola adversatur iniustitia: Heroica virtus omnem virtutem transcendit magnificentia non versatur circa mediocres, sed circa maximos sumptus: sic magnanimitas circa summos honores. Verum nihil est hic periculi, si ratione circumstantiarum has virtutes consideraverimus. Proinde pro decisione quæstionis notandum venit, has virtutes, quæ in maximis versantur, indupliciter posse considerari. Primò ratione objecti: secundò ratione modi sive circumstantiarum. Nam quamvis magnanimitas & magnificentia versentur non in mediocribus, sed in maximis, ratione objecti: interim tamen ratione modi mediocritatem in maximis honoribus & sumptibus servant, quatenus ad minimum & parum non inclinant, sed modum debitum observant. Sic quamvis iustitiæ opponatur unum tantum extremum, iniustitia videlicet: attamen cum iniustitia & in excessu & defectu peccare possimus, uni enim nimium & plus quàm decet, alteri contra, parum & minus quàm decet, attribuimus, fit, ut iniustitia ratione objecti sit unica, ratione verò modi & circumstantiarum sit duplex. Et sic de cæteris est iudicandum, *Piccol. gr. 4. cap. 6.*

QUÆST. XIII. *Utrum Virtus posita sit in medio?*

Medium quadrupliciter sumitur. 1. Est medium negationis ut est ternarius inter binarium & quaternarium. 2. Est medium participationis, uti tepidum inter calidum & frigidum. 3. Est medium rei. 4. Est medium personæ. De medio virtutum quando quærimus, non intelligimus medium participationis, sed negationis; non rei, quod æqualiter distat à suis extremis & aliàs dicitur medium Arithmeticum seu ipsa mediætas, sed personæ, quod uni extremorum
C †
simili-

similitudine quadam propinquius est, ab altero verò remotius, ita tamen ut ad virtutem constituendam sufficiat. Et hæc est ratio, quod Aristoteles virtutem definiverit talem mediocritatem relatam ad nos sicuti illam mediocritatem vir prudens definire potest.

E X E R C I T A T I O I V.

DE CAUSA EFFICIENTE ET FINE VIRTUTIS.

Resp. Henrico à Weinber, Boruffo.

T H E S I S I.

Consideratis & cognitis causis internis, materiã videlicet & formã virtutum moralium, ad contemplationem causarum externarum rectè progredimur.

2. Efficiens causa virtutum duplex est: *Remota & propinqua*. *Remota* est Deus Ter. Opt. Max. qui uti omnis boni fons atque origo, sic quoque virtutis causa efficiens existit. Non enim solum aliqua virtutum semina & discrimen honestorum & turpium naturæ nostræ humanæ implantavit, verum etiam quotidie per ordinarium magistratum, legibus, exemplis, comminationibus nos adigit & virtutibus in bruta animalia depictis ad æmulandum, ad virtutis studium promovendum non excitat.

3. Propinqua causa est rursus 2. *principalis & administra*. *Principalis* est actio non quælibet, sed honesta proveniens ab intellectu vero & voluntate recta.

4. *Administra* rursus duplex: *cura parentum & cura ipsius educandi*. *Ratione parentum* est commoda educatio, quæ adeo est necessaria & utilis, ut, si negligatur, detrimentum Reipub. majus inferri non possit. Consistit autem in corporis efformatione per bonos mores, & in animi informatione per artes.

5. *Ratione ipsius educandi* est præceptorum applicatio & quotidiana usurpatio seu exercitatio.

6. In præceptorum applicatione omnibus viribus anniti debet, ut in studio virtutis ita progrediatur, ne sibi quicquam deesse videatur.

7. A primis unguiculis honestati assuescat, & sic se in virtutis operibus exerceat, ut spontè & ex libera voluntate secundum virtutem agat, & vitia tanquam Diabolum ipsum aversetur.

8. *Finis virtutum duplex est: Ultimus & intermedius*. *Ultimus* sive summus est gloria Dei.

9. *Intermedius finis est τὸ καλὸν bonum*, tam practicum quam

Ethicum,

10. Ethic.

10. Ethicum bonum est, quod formaliter personam perficit & Ethicè bonam reddit. Practicum bonum illud dicitur, quod finaliter ipsum bonum respicit, quatenus videlicet alii benefacimus & operamur.

11. Utrumque bonum ab una virtutis operatione promanant. Videmus enim bonum non esse positum in solitudine, sed semper sese alteri communicari. Sic fortis, non tantum sibi sed patriæ fortis est: sic liberalis, non sibi sed aliis liberalis est: Deinde, videmus istam virtutis actionem alteri communicatam vicissim reflecti in suum subjectum, illudque affici beando, & voluptate afficiendo, & amicitiam conciliando.

QUÆST. I. *Vtrum actio sit causa virtutis?*

Causam dubitandi facit, quod in præcedentibus dictum, actionem honestam esse virtutis effectum. Non enim una eademque actio & causa & effectum esse potest. Item, obstare videtur, quod omnis causa natura sua prior sit effecto: Atqui actio virtutum, ut ex præcedentibus patet, oritur ex habitu virtutis. Ergo non potest esse prior, Et per consequens neque causa. Sic oportet aliquem prius esse justum, antequam justè agere possit, ut & prius aliquem Grammaticum & Musicum esse oportet, antequam Grammaticè loqui & Musicè canere queat. Sed huic oppositioni reponimus: non esse unum idemque justa agere & justè agere, uti non idem unumque grammaticè loqui & grammaticum quid loqui. Hæc enim (ut justa agere, & grammaticum quid loqui) sunt causæ, quod postmodum justè agere & grammaticè loqui possis. Sunt ergo actiones pro diversa cōsideratione & causa & effectus virtutū.

QUÆST. II. *Vtrum in arbitrio hominis positum, virtuti operam navare & vitia avertari?*

Quæstionem hanc primò dubiam faciunt sacræ literæ, quæ testantur, nos non esse idoneos per nosmetipsos ad cogitandum quidquam bonum. Proinde dubiam etiam facit hanc quæstionem ratio, quæ talis, quod homo naturaliter propensus est ad malum. Hinc ita argumentor: Quod homini à natura insitum, id non est in arbitrio & potestate hominis positum, ut ea moderetur & aliud agat: Atqui propensio ista à natura homini est insita. Ergo. Porro: Quodcunque est in voluntate & arbitrio positum, id est voluntarium: Atqui propensio ista ad malum non est voluntaria, nam hominem etiam invitum invadit. Ergo. Cæterum, quod rectæ rationis imperium detrectat, id non est in arbitrio hominis positum: Atqui pravā libido imperium rectæ rationis detrectat. Ergo.

Contra, quod virtuti operam navare sit in nostra potestate probamus exinde. 1. Quia in hominis potestate situm est sibi virtutem moralem acquirere & acquisitam exercere. Hoc autem fieri non posset, nisi virtuti operam navare esset in nostra potestate & arbitrio. Deinde vana esset omnis institutio puerorum, qua homo ab incunte ætate assuefit ad virtutem sibi comparandam, nisi esset in arbitrio & potestate ipsius positum bene vel male facere. Tertio vanæ etiam essent omnes leges & præceptiones de fugiendo malo, & sectando bono, &c. Interim tamen pro decisione quæstionis distinguimus inter actionem spiritualem & civilem, & posita hac distinctione asserimus, antequam habitus in nobis generetur in nostra potestate situm esse, vel bona vel mala agere. Ad opposita argumenta Resp. ad 1. quæstionem non esse positam de actionibus ad spirituale vitam, sed tantum de actionibus ad civilem vitam pertinentibus. Ad 2. Resp. propositionem esse veram de eo naturali, quod immutabiliter ita insitum: Atqui propensio ad malum mutabiliter homini est insita, potest enim homo illam propensionem rectæ rationis imperio subjicere, eandemque ad bonum morale dirigere. Ad 3. Resp. Negando consequens. Nam quamvis prava ista inclinatio invitum hominem invadat, eundemque etiam sæpè vincat: interim non sequitur, hominem aliter agere non posse. Ex præcedentibus enim constat, quod possit illam suam pravam libidinem rectæ rationis imperio subjicere & sic eandem ad bonum morale cogere. Ad 4. Resp. Propositionem non simpliciter esse veram. Nam quamvis aliquo modo detrectet frænos rectæ rationis, interim tamen, ut equus indomitus tandem domatur & imperio sessoris subjicitur: ita etiam prava libido in gyrum rectæ rationis reduci & sic imperio ejusdem subjici potest.

QUÆST. III. *Verum voluntas nostra cogi possit?*

Ratio dubitandi inter alias hæc est, quod voluntas nostra per essentiam sit libera, qua sublata, ipsam voluntatem tolli necesse est. Huc facit quod ea, quæ non integra voluntate, sed vel propter vim vel justum metum gesta sunt, rata non sint habenda, sed rescindenda, *l. metum, 9. §. sed quod prætor, 3. ff. quod metus causa, gest. l. dolo, 5. C. de inutilibus stipul.* Nos pro decisione quæstionis distinguendum esse putamus. 1. inter actiones puras & mixtas. 2. inter actus internos sive elicitos à voluntate & inter imperatos. Quod actiones puras & actus internos attinet, res est plana, in iis voluntatem nostram non posse cogi. In iisdem enim solum *τὸ ἐκὸς* prædominatur. In actionibus verò mixtis & actibus imperatis, non tam

à vo-

à voluntate nostra, quàm ab externa quadam violentia dependentibus, voluntas nostra admittit aliquam coactionem. Unde illud juris procardicon: coacta voluntas etiam est voluntas. Et quia in periculo & metu, illud quod præelegit, habet rationem boni, voluntas nostra nihilominus ad id, tanquam ad bonum dicitur ferri.

QUÆST. IV. *Vtrum educatio aliquid conferat ad virtutem?*

Præcedenti quæstione dictum est, quomodo voluntas nostra libera & quomodo coacta. Quia verò educatio videtur aliquo modo voluntati nostræ adversari, non immeritò quæritur, utrum possit ad virtutem aliquid conferre. Et respondetur, quod sic. Non enim per educationem voluntas nobis tollitur, sed tantummodo inclinatur & flectitur. Neque per omnem educationem virtus propagatur, sed tantummodo per eammodam & rectam vel publicis legibus vel consilio prudentis parentis præscriptam.

QUÆST. V. *Vtrum mores sequantur temperamentum hominis?*

Galenus Medicorum Princeps in affirmativam sententiam proclivis esse videtur, quando inter alia scribit: Naturam conformare membra, pro ut moribus animæ competant. Et alibi: ridiculum corpus naturam finxisse in simia, quod animam habeat ridiculam. Atque sicuti animalibus corporalia videmus convenire, ita etiam corporibus vicissim animalia. Unde natum videtur proverbium: Piguis venter non studet libenter, nec tenuem gignit sensum. Hinc alius lætus, alius tristis, alius comis, alius austerus, alius liberalis, & alius avarus, &c. Contra si mores temperamentum nostrum immediatè, tanquam causam adæquatam sequerentur, consequens erit: Omnis bruta esse virtutibus prædita. Posita enim causa adæquata necessariò sequitur illud, quod ex causa fluit. Dans enim formam, dat etiam quod ex forma sequitur. 2. Sequeretur virtutes non comparari, sed innasce. 3. Non esset amplius liberum arbitrium, adeoque temperamentum actionibus dominabitur. Nec aliter facere possent homines, quàm quod temperamentum præcepit. Quod tamen est contra experientiam. Testantur enim historiarum mores contra temperamentum & in melius & in deterius esse mutatos. Testis hac in parte est Socrates, qui, cum à Physiognomom quodam ex signis quibusdam externis stupidus, bardus, & muliebris judicaretur, respondit: Talis futurus eram, nisi naturam diligentia correxissem, *Angel. Monosin. libr. 6. flor.* Similem historiam recenset *Polydor. Virg. lib. 10. histor. Angl. de Lanfranco*

franco Cantauriensium Episcopo, qui Guilielmi Ruffi Anglorum Regis naturam feram & bestialem ita admonitionibus & adhortationibus suis coercuit, ut ad meliorem frugem se receperit. Non absimilem recenset *Laert. lib. 4.* de Polemone Philostratis filio, qui audito Xenocrate de temperantia perorante ita commotus est, ut vitam suam in melius mutarit, & postea laudabilem vitam egerit. Minus ergo tutum esse dicimus ex solo aspectu & temperamento hominis cognoscere mores hominum. Sæpè enim in eburnea vagina plumbeus est gladius *Cynic. apud Laert.* Et non raro in deformi domo, optimus habitat. Plura de his vide apud *Corn. Agripp. c. 63. de Vanit. scient. Bodin. lib. 1. Damon. c. 5. Camerar. cent. 1. c. 57. & cent. 2. c. 3. 56. Crugerium, in hort. virt. quest. 32.* Nos pro decisione hujus quæstionis distinguendum putamus inter causam adæquatam & inadæquatam. Item inter immediatam sufficientem & mediatam insufficientem seu administram. Quibus distinctionibus positis, asserimus, temperamentum hominis multum conferre ad virtutes & vitia, non tamen ut causam adæquatam & sufficientem, sed tantum ut administra, inadæquata & insufficientis.

QUÆST. VI. *Vtrum mores sequantur influentiam syderum cælestium?*

Magna quidem vis est syderum cælorumque in hæc inferiora, uti id ipsum per inductionem à Sole, à Luna, à Stellis fixis, ab animalibus brutis, item ab hominibus, per ortum & morbos à quatuor anni temporibus, ad oculos posset demonstrari. Videmus enim non tantum motui & luci syderum cælestium exposita, verum etiam intimis terræ visceribus inclusa humorum luxuriam & syderum influentiam experiri. Hinc cæli serenitas, aut tempestas, siccitates, pluviae, venti, nives, aestas, frigora, morborum genera multa, sterilitates, annonæ caritas, Nativitates, &c. à peritis Astronomis prædici possunt. Verum inde non sequitur, quod planetarii putant, mores hominum sequi influxum syderum cælestium. Sequeretur enim omnia institutionem, educationem, disciplinam, leges, admonitiones, adhortationes esse vanas, & nihil operari. Item Deum Ter. Opt. Max. conditorem syderum & causam primam, à quâ reliquæ causæ secundæ suum esse & operari habent, & sine cujus nutu & voluntate nihil agere & nihil efficere possunt, esse causam vitiorum & peccati, id quod absurdum, imò blasphemum & impium. Proinde pro decisione hujus etiam quæstionis repetimus distinctiones præcedente quæstione positas. Et pro secundo distinguimus etiam inter corporalia & spiritualia. Quibus distin-

ctio-

tionibus præsuppositis asserimus, Astra quidem agere in hæc inferiora: eaque immutare, alterare, augere, minuere, uti antea dictum, verum tantum in corpora & ex quatuor elementis composita, non vero in spiritualia, ut est nostra voluntas & mens. In illam enim nullam habent vim vel ad agendum vel ad cogendum. Siquidem eorum operatio se non potest exerere ultra eorum esse. In tantum ergo agunt sydera in hæc inferiora, in quantum illis à causa prima est concessum. Et quamvis hac ratione agant in hominum affectiones à corpore provenientes, interim tamen, quia corpori divinum quid additum, videlicet mens & voluntas, non æquè in hominum affectiones à corpore simpliciter fluentes agere possunt. Repetimus ergo h.l. distinctionem præcedenti quæstione positam, influentias videlicet syderum conferre ad hominum mores & vitam, verum non ut causa adæquata & sufficiens necessitatem important, sed ut in adæquata, immediata & insufficienti, eandem tantummodo inclinant.

QUÆST. VII. *Vtrum omnia vitia sint paria?*

Somniarunt id ipsum Stoici, qui vitia omnia paria & æquè atrocità statuerunt, eumque non minus peccare, qui gallum gallinæcum interimeret, quam qui propriam matrem, probant quod dicunt hoc modo: 1. à contrario. Uti virtus, ita etiam vitium ex animo æstimandum. : Atqui animus malè agentium est æquè pravus in pravo, quam in magno vitio. 2. Quia omnia vitia merentur poenas, &c. Verum absurdam esse Stoicorum opinionem patet inde: Quod vitia ex circumstantiis personarum, locorum & temporum sint æstimanda, & sic magis peccat, qui patrem occidit, quam qui servum. Et quamvis omnia vitia ex corrupta ratione & animo malè adjecto perpetrantur; interim tamen alter præ altero fortiori & vehementiori adfectu & effectu peccare potest. Pro decisione quæstionis distinguendum putamus inter objectum vitiosum & modum viciositatis. Possunt enim hac posita distinctione vitia esse paria & imparia. Paria sunt, ratione viciositatis. Conveniunt enim in illo, quod sint vitia, & mereantur poenam. Imparia sunt ratione modi & circumstantiarum. Et sic non eandem, sed ratione delicti poenam merentur.

QUÆST. VIII. *Vtrum de vitiis sit agendum in Ethicis?*

Negari hoc posse videtur. 1. ab inutili. Quia virtute cognita facile potest intelligi, quid vitium. 2. Quod & contraria non sint in eadem disciplina tradenda. Verum hæc & similes rationes tantum ponde-

ponderis non sunt, ut nos à nostra sententia dimovere possent. Retinemus ergo contrariam sententiam, quam tuemur his rationibus. 1. à forma virtutis; Quia virtus est habitus præelectivus consistens in mediocritate. Atqui mediocritas, quæ est forma virtutis, perfectè declarari & cognosci non posset, nisi in Ethicis simul explicarentur ipsa extrema. 2. Quia contraria juxta se posita magis elucescunt: Atqui virtus & vitium sunt contraria. Ergo, &c. 3. Quia contrariorum est eadem scientia. Ergo in qua disciplina agitur de virtutibus, in ea etiam agi debet de vitiis. 4. Quia vitium sæpè virtutis speciem habet. Ne ergo pro virtutibus vitia apprehendamus, necesse est, ut in Ethicis etiam agamus de vitiis. Interim tamen pro decisione quæstionis notandum venit, de vitiis in Ethicis agi, non tanquam de parte constituyente, sed uberioris tractationis, distinctionis, explicationis, & cognitionis gratia, ut videlicet virtutes magis magisque nobis elucescant, à nobis cognoscantur & apprehendantur. Pro resolutione argumentorum distinguendum puto. 1. Inter cognitionem confusam & perfectam. 2. Inter contraria mediata & immediata: Quibus distinctionibus positis. Resp. ad primum, vitium quidem ex virtute percipi confuse, non verò distinctè. Ad 2. Resp. Quod illa contraria in una disciplina proponi nequeant, quæ planè non conveniunt: Hæc verò conveniunt medio.

QUÆST. IX. *Utrum virtus possit constitui virtutum moralium numerus?*

Zeno, Menedemus Eretriensis, Aristo & alii Stoici: ut refert *Golius Ethic. 2. c. 7. attestante Plutarcho. in lib. de virtute morali*, unam tantum esse virtutem moralem variis nominibus designatam ajunt. Chrysippus contra innumeras fecit virtutes. Ad cujus sententiam accesserunt Philo Judæus & Leo Hebræus, qui plurimas agnoverunt virtutes, verum numerum non assignarunt. Cicero quatuor fecit virtutum species: prudentiam, justitiam, fortitudinem & temperantiam. A cujus opinione non procul abiit Plato, qui 5. proponebat: prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam, sanctitatem. Nos & hac in parte facimus cum Aristotele, qui 2. *Ethic. cap. 7.* undecim proponit species virtutum moralium hac serie & methodo. 1. Est Fortitudo. 2. Temperantia. 3. Liberalitas. 4. Magnificencia. 5. Magnanimitas. 6. Modestia. 7. Mansuetudo. 8. Humanitas. 9. Veritas. 10. Urbanitas. 11. Justitia.

QUÆST.

QUÆST. X. *Vtrum pietas, sanctitas, religio, &c. sint
virtutes morales?*

Videtur & has virtutes virtutibus moralibus accensendas esse.

1. Quia sicuti caput se habet ad truncum, ita se habent hæ virtutes quæ referuntur ad proximum. Ergo qui omittit has virtutes, truncum absque capite producit. 2. A minori ad majus. Quia hic proponuntur virtutes, quæ referuntur ad homines. Ergo multo magis eas debuisset Aristoteles proponere, quæ ad Deum referuntur. 3. Quia alii Ethici passim in suis scriptis de cultu Dei egerunt. Pro decisione quaestionis distinguendum esse putamus. 1. inter virtutes acquisitas & divinitus infusas. 2. inter virtutes ad politicam & civilem conversationem pertinentes & inter illas, quæ nos ad Dei gloriam ducunt. Quibus distinctionibus præsuppositis breviter respondemus: in Ethicis agi de virtutibus acquisitis, quæ habitus sunt & ex actionibus oriuntur, non verò de virtutibus divinitus infusis. Illæ enim nos aptos reddunt ad politicam & civilem conversationem: Hæ verò ad futuram gloriam nos ducunt & enumerationem virtutum moralium longè transcendunt.

QUÆST. XI. *Vtrum verecundia pertineat ad numerum
virtutum moralium?*

Et hoc affirmari posse videtur ex eo, quod malè audiant illi, qui verecundiam excusserunt. Siquidem hominem sceleratum melius depingere non possumus, quam si dicamus cum *Cic.* depuduit & cum *Plin.* faciem perficit. Verùm licet hic affectus magnam cum virtute morali habeat cognationem, cum & mediocritatem & vitia præferat: verè tamen & propriè loquendo virtus moralis non est, sed potius subitus & repentinus animi motus, qui non tantum viris, verùm etiam pueris competit, & propterea non longo rerum usu, studio, assuefactione, voluntate aut ~~dege~~ procuratur, sed nobis potius invitis ex desiderio honesti & timore infamiae injicitur. Et quia non omni ætati convenit, sed adolescentiæ propria est, potius verecundiam semen virtutis & viam ad virtutem appellabimus.

EXERCITATIO V.

DE PRINCIPIIS ET ADIUNCTIS ACTIONVM.

Resp. Henrico Wittvogelio, Oldenburgensi.

T H E S I S I.

Quia præcedente Exercitatione de *Actione* tanquam causa propinqua & principali virtutis dictum: consequens est, ut de *principiis & adiunctis actionum* aliquid videamus.

2. Principia quæ ex animo hominis originem ducunt. 4. sunt: *Voluntas, arbitrii libertas, consultatio, electio.*

3. *Voluntas* h. l. non significat *δύναμις*, hoc est, animæ nostræ facultatem, & vim bona appetendi aut averfandi mala: sed *ἐνέργεια*, hoc est, ipsum usum & actum virtutum. Qua in significatione definitur, quod sit, *Boni cum recta ratione appetitio.*

4. Objectum voluntatis nostræ *Bonum* est: norma verò quæ regi ac dirigi voluntas nostra debet, est *recta ratio.*

5. *Liberi arbitrii* multæ sunt significationes, uti videre est apud *Piccol. gr. 2. c. 30.* Nos rejectis iis, quæ ad alias spectant disciplinas, liberum arbitrium sumimus pro illa *facultate animæ, qua liberum fuit, hoc vel ejus contrarium in eadem actione eligere.*

6. *Libertati* non opponitur *necessitas, sed coactio.* Quamvis enim Deus ut liberrimum agens, non possit mala eligere præ bonis; at tamen non invitus, sed ex liberrima sua voluntate bona agit.

7. Proinde non terminatur nostra voluntas *necessitate exercitii*, quæ tantum voluntatem hominis ad hanc vel illam certam actionem cogit; quamvis *necessitate specificationis*, quatenus ad certum & definitum objectum rerum (in quo liberrimè agit) restringitur, definiatur.

8. *Consultatio* est ratiocinatio seu diligens mediolorum, per quæ ad finem in agendo pervenitur, inquisitio.

9. Consultationis objectum sunt omnia agibilia, negotia videlicet in hac vita peragenda & in nostra potestate sita.

10. *Electio* est appetitio mentis, qua amplectimur ea media, quæ in consultatione monstrata sunt, eaque ad finem dirigimus.

11. Et quamvis hæc IV. actionum humanarum principia magnam inter se habeant cognationem: attamen à se invicem realiter distinguuntur. *Voluntatis* enim vera & genuina proprietates est appetere Bonum: Quòd verò homo potuisset eligere, vel non eligere est *libertatis*: Quibus porro mediis hoc bonum assequimur est

consultatio.

consultationis: Ipsa denique boni executio est *praelectionis*. Et tantum de actionum humanarum principiis.

12. Accidentia actionum humanarum sunt. 2. *Spontaneum* & *Inuitum*.

13. *Spontaneum est*, cujus principium est, in ipso agente & sciens singulas actionis circumstantias. In ipso agente spontaneum sit necesse est, & quidem ratione dominii & directionis. Nam quæ non agimus nostro sed alieno principio moti, spontanea actio non dicitur. Per scientiam h. l. intelligimus qualemcumque rei notitiam. Actio h. l. non *γενικῶς* pro actionis specie sed *ειδικῶς* pro hac singulari certa ac definita actione sumitur.

14. *Inuitum est*, cujus principium aliunde provenit. Estque 2. *Violentum*, vel *ex ignorantia profectum*.

15. *Violentum est*, quod quis vi coactus agit. Estque 2. *Absolute violentum* vel modo quodam *violentum*, quod alias dicitur *mixtum*.

16. *Absolute violentum est* cujus principium est extra agentem adeo, ut is qui agit vel patitur planè nihil adjumenti ad illam actionem conferat.

17. *Modo quodam violentum est*, quod partim violentum, partim voluntarium. *Violentum dicitur*, quatenus in se consideratur & non electum, nisi extrema vis, exurgens necessitas suasisset: *voluntarium dicitur* respectu circumstantiarum, finis ac temporis, quæ cum omnia sunt in nostra potestate & electione, voluntarium ex ea parte nominatur.

18. *Ignorantia est* 2. *vera* & *affectata*. *Vera* rursus 2. *juris* & *facti*.

19. *Ignorantia juris est*, quando quis contra bonos mores, leges & consuetudines, quas unusquisque scire debet, peccat.

20. *Ignorantia facti est*, quando quis facti alicujus executionem ignorat, nec potuit antè prævidere & cavere.

21. *Affectata, crassa & supina ignorantia dicitur*, cum quis in actione versatur & ignorat finem suæ actionis, hoc est, nescit, quid in ea actione honestum vel inhonestum, quid utile, vel inutile?

QUÆST. I. *Virum in homine dentur principia actionum humanarum?*

Qui principia actionum humanarum evertere conantur, ii escendunt vel ad astra, uti faciunt planetarii, vel recurrunt ad temperamentum hominis, uti faciunt Medici, vel ad Fatum se conferunt, uti faciunt Stoici. Nos verò omnibus iis fortiter & firmiter resistimus

mus & ex multis hæc duo tantum argumenta iisdem opponimus, quorum primum deductum est à formâ hominis. Est enim Homo veræ rationis particeps. Ergo & voluntatis; & per consequens principiorum actionum humanarum. Alterum argumentum ab effectis deductum est tale: Si homo per propriam suam naturam consulat, deliberet, consilium suum mutet, improbos damnet, ad virtutem hortetur, &c. erit etiam particeps, principiorum actionum: Atqui Antecedens tam oculariter patet, ut nulla demonstratione indigeat. Ergo, & consequens. Majoris connexio tam vera est, ut nisi dicas per propriam hominis naturam ea fieri, sustuleris totam politiam, imò omnes in universum leges humanas, præcepta, pollicitationes præmiorum & comminationes poenarum, sic nullus amplius erit locus virtutis & vitii & culpa non erit delinquentis, sed solius impellentis & falsum erit Jehovahæ effatum, *Genes. 4.* sub te erit appetitus, & tu dominaberis ipsi. Quamobrem antequam respondemus adversariis nostris, pro quæstionis hujus decisione distinctionem talem præmittimus, quâ distinguendum esse putamus: inter res naturales, morales & merè spirituales. Rerum naturalium uti moralium seu civilium principia in Hominis voluntate, juxta superius allata voluntatis effecta, posita esse statuimus; non verò rerum merè spiritualium. Qua distinctione præmissa Planetariis respondendum esse putamus: Astra quidem inclinare, sed non necessitate & cogere. Sunt enim astra non frustra condita, sed non ut directè & adæquatè hominem cogant & ad hoc præcisè agendum impellant. Illud ultrò largimur, quòd afficiant temperamentum nostrum & in illud agant tanquam in rem naturalem & ex elementis compositam, sed non directè in voluntatem. Siquidem voluntas nostra non est res naturalis, sed spiritualis, in quam materiale agere non potest. Medicis respondendum esse dicimus distinguendo inter facilitatem, inclinationem, seu propensionem & inter ipsum habitum. Propensio, facilitas seu inclinatio sequitur quidem temperamentum hominis, sed non habitus. Stoicis respondemus, committi ab ipsis fallaciam causæ. Nam præscientia Dei non est causa nostrarum actionum. Deus enim non ideo præscivit, ut tu mala faceres, sed quia ex suis principiis & causis eventura erant, hoc præscivit & prædixit, uti id ipsum ex Theologorum orthodoxorum libris latius patet.

QUÆST. II. *Vtrum voluntas sit solius finis?*

Ut consultatio est mediorum & prælectio præmeditatae & consultæ rei decretio: Sic voluntas est solius finis appetitio. Non enim

enim

enim de fine, sed de mediis ad finem ducentibus deliberamus, & illud quod in potestate nostra situm, habita deliberatione praeligimus. Sic ægrotus sanitatem tanquam finem simpliciter vult, de mediis verò consultationem instituit, & uti in potestate situm, habita deliberatione eligit & in actum deducit. Et quamvis communi usu loquendi dicatur, nos non tantum velle sanitatem, verum etiam nos velle media, utpote nos velle curari, purgari, deambulare, &c. quæ media sunt ad finem: Unde commune proverbium, Quicumque vult finem, vult etiam ordinata ad finem. Non tamen statim sequitur, finem & media esse confundenda. Nam alia est ratio voluntatis, si propriè & strictè, pro appetitu mentis, quatenus ab appetitu sensuum distinguitur; & alia est ratio, quatenus late pro omni appetitione capiatur. Illa enim solius est hominis & solius finis, non mediorum, nisi per consecutionem: Hæc verò est nobis communis cum brutis & non tantum est finis, verum etiam ordinatorum ad finem.

QUÆST. III. *Vtrum consultatio tantum sit de ordinatis in finem?*

Golius lib. 3. *Ethic. cap. 3.* talem nobis suppeditat definitionem, quod consultatio sit diligens inquisitio mediorum, per quæ in agendo ad finem propositum perveniri posse videtur. Verum hanc Golii definitionem plerique frequenter oppugnant, hac moti ratione, quod hæc definitio restringat consultationem tantum ad media & non dirigat ad ipsas actiones humanas. Cum verò consultatio propriè versetur circa actiones humanas & non tantum consultatio instituat de actionibus, quæ habent rationem medii, sed etiam de iis actionibus, quæ habent rationem finis, utpote, non tantum consultationem institutis, quibus mediis ad facultatem quandam pervenire possis; verum etiam consultationem instituis, cui facultati ætatem tuam consecrare velis. Sic non tantum consultatio instituitur, qua ratione ad bellum pervenire possim, sed etiam, utrum bellum gerendum, &c. Ergo, &c. Quamvis hæc ita sese habeant, contrarium tamen est verius, idque ex natura ipsius finis. Finis enim habet rationem boni & est per se expetibilis & naturâ talis, ut non possit nolle, neque opus habet ullâ consultatione. Sic nemo est, qui nolit sanitatem, nemo omnium, qui nolit pacem. Ridiculum proinde videtur, consultationem velle de iis instituire. Ut autem argumento superius adducto satisfaciamus, distinguendum esse putamus. 1. Inter actiones, quæ habent rationem & mediorum & finis & inter ipsam finem actionis.

2. Inter fines subordinatos & ultimos. De actionibus, quæ rationem tum mediorem tum finis habent, consultatio instituitur: Non verò de ipso fine actionis, utpote, vincere hostem est actio, quæ habet rationem finis, sic suscipere bellum est actio, quæ habet rationem medii, de utraque consultatio instituitur; non verò de ipso fine actionis, utpote de pace & tranquillitate, quam homo absque ulla consultatione arripit. Sic consultat homo de facultate, cui se consecrare velit, tanquam de fine subordinato, non verò de ultimo, qui est eruditio & doctrina.

QUÆST. IV. *Vtrum praelectio competat bestiis?*

Prælectionem consultationis filiam non immeritò dicimus, siquidem nihil est aliud, quàm consultationis habitæ præmeditata decretio vel electio. Qualis cum non cæcò quodam impetu fieri possit, bestiis nullò modo competere potest. Et quamvis videamus canes appetere panem præ auro, pueros appetere cultrum vel pomum præ thalero; id tamen cum fiat tantum ex appetitu sensitivo absque iudicio & consultatione, prælectio dici non potest. Pro quæstionis decisione distinguendum esse putamus, inter electionem & prælectionem: Omnis enim prælectio & electio est, sed non contra. Et quamvis electionem, quæ nudam tantummodò cognitionem absque iudicio & ratione hoc vel illud arripendi docet, brutis competere dicamus: prælectio tamen, quæ sine rationis pondere non procedit, nullò modo iis competere potest.

QUÆST. V. *Vtrum sint faciendâ mala, ut eveniant bona?*

Commune Theologorum effatum est: Non esse faciendâ mala ut eveniant bona: Cum quo non tantum ipsa Scriptura S. *Roman. 3. v. 8.* concordat; verum etiam ipsa ratio hoc afflagitat, ut ad finem bonum, honestis & licitis mediis, progrediamur. At in contrarium plurima opponuntur, quod quædam partim majoris boni consequendi, partim magni alicujus mali evitandi gratia fiant & in Re- publ. Christiana admittantur, utpote sunt lupanaria, usuræ, corruptelæ & sectæ, &c. Nos pro determinatione quæstionis distinguendum esse putamus. 1. Inter malum noxium seu molestum & inter malum turpe, quod est contra bonos mores & conscientiam. Quâ distinctione primâ præmissa asserimus: Non esse faciendum malum turpe, quod est contra bonos mores, contra propriam conscientiam & cuius facti executio ædificet ad Gehennam, istiusmodi inquam malum non esse faciendum, ut inde eveniat bonum. 2. Inter ea mala, quæ absque gravissimo & insanabili Reipubl. vulnere

extit-

extirpari non possunt & ea, quæ facile & sine turpatione & detrimento Reipubl. mutari possunt. Quod jam lupanaria, corruptelas, sectas, usuras, & alia quàm plurima attinet, dicendum, ea omnia quantum fieri potest eradicanda & omni Reipub. Christiana penitus ejicienda; verùm cum quædam ratione circumstantiarum & absque gravissimo & insanabili Reipubl. vulnere extirpari non possunt, melius esse judicamus, si ea tanquam medium servandi, totam politiam permittantur, quam si cum totali intereptione & ruina Reipub. eradicentur.

QUÆST. VI. *Vtrum violenta mereantur excusationem?*

Violentum uti ex præceptis constat duplex est: Aliud est absolute violentum & aliud mixtum. De illo nullum est dubium, quin mereatur excusationem: De hoc verò non est usquequaque expeditum. Est enim quadruplex. 1. Aut propter exiguum aliquod bonum, indecorum quippiam, at tamen sine scelere & turpitudine admittitur. 2. Aut propter exiguum lucrum enormia perpetrantur vitia. 3. Aut gravissimis de causis, duabus viis propositis, indecorum quippiam admittitur. 4. Aut in gratiam aliorum vel poenarum evitandarum causa facinus, cum impietate conjunctum perpetratur. Quibus gradibus positis ad singula jam Resp. brevissime. Prius excusationem. 2. reprehensionem. 3. veniam. 4. castigationem mereri putamus.

QUÆST. VII. *Vtrum illa que fiunt cum magna cupiditate & ex affectibus, sint invita nominanda?*

Qui temperamento hominis & astris omnem vim agendi in hæc inferiora tribuunt, procul dubio quæstionem affirmant: Hominem videlicet necessario & indeterminatè ad hoc vel illud impelli & cogi. Verùm falsam & erroneam esse eorum opinionem, ex præcedentibus satis luculenter patet. Quamobrem in negativam quæstionis recto pede imus. Aliàs enim sequeretur, omnia ea, quæ homo agit, invita esse appellanda: Item quod illa, quæ fiunt cum jucunditate ratione temperamentorum & astrorum essent cum dolore conjuncta. Et quòd ad violenta essemus proni & proclives.

Nihil ergo est, quod putent se veniam mereri, qui ex affectibus nimis & cupiditatibus peccarunt.

QUÆST. IIX. *Vtrum ille, qui iurejurando ad rem præstandam aut faciendam, coactè se adstrinxit, eam vel solvere vel facere teneatur?*

Nobilis & difficilis est quæstio: An Juramentum raptori, latroni vel prædoni pro vita redimenda & capite salvando præstitum, sit servandum. Etsi de re privata agatur & tali, quæ non est contra bonos mores & absque conscientiæ læsione præstari potest, servandum esse, multi non solum Theologi & Philosophi, sed etiam J. C. responderunt Joachim. à Beust. *tract. de jurejur. Speckhan. cent. 2. Class. 2. q. 14. Setzerus tract. de jurejur. lib. 1. cap. 20. n. 1.* Argumenta, quibus moventur imprimis, hæc sunt. 1. A definitione juramenti. Petimus enim in juramentis, ut Deus sit testis de animo nostro, quod non velimus fallere homines, hac in re, de qua certum quid asseveramus, simulque petimus, ut Deus sit vindex, si aliter sentiamus & homines fallere cupiamus. 2. Quod ex duobus malis minus eligendum, & per consequens melius eligere iacturam rerum humanarum, quam perjurium, quod Deus secundo præcepto severissime prohibuit. 3. testimoniis sacrae Scripturæ. Quod nomen Dei non temere usurpandum, *Exod. 20. v. 7. Deut. 5. v. 11.* Quod Domino vota & juramenta sint reddenda, *Psal. 50. v. 14. Matth. 5. vers. 33.* Quod virum bonum non deceat cum damno mutare id, quod juravit *Psal. 15. vers. 5.* 4. *ex jure Can.* Quod omne jusjurandum, quod sine dispendio salutis servari potest, servandum sit, *c. cum contingat, 28. extr. de jurejurand.* Verum nos facimus cum iis, qui distinctè asseverant, juramentum vi metusve extortum, non esse servandum, idque. 1. per textum rotundum & apertum in Authent. Sacramenta puberum, *C. si advers. vendit.* 2. Non est obligatorium juramentum, quod est contra bonos mores præstitum, *c. non est obligatorium, 58. de R. I. in 6.* Atqui præstare latroni vel raptori, tanquam latroni, vel raptori juramentum, est contra bonos mores: Ergo. Tum quod præstare prædoni rem promissam, nihil aliud sit, quam metum illatum, latrocinium & raptum comprobare. Et hoc qui facit, directè contra bonos mores facit, uti disertè scriptum est, *in l. nihil, l. consensui 116. ff. de R. I.* Tum quia hoc ipsum etiam turpe & adversus utilitatem publicam, prædoni sive latroni tanquam latroni & prædoni aliquid dare. Cum videlicet tales propter vim illatam publicè malè meriti sint & digni, non quod maleficii præmium accipiant, aut lucro augeantur, sed potius qui egestate laborent, *l. bona fides, 31. in fin. princ. ff. depositi.* 3. juramentum non sit vinculum iniquitatis, *c. quanto, 18. circa medium*

medium extr. de jurejur. Can. inter cetera, 22. caus. q. 4. 4. Juramentum debet habere tres comites, puta veritatem, iudicium & iustitiam, c. etsi Christus, §. Iacobus, extr. de jurejur. Huc pertinet text. in c. cum contingat, 28. extr. de jurejur. Pro resolutione argumentorum in contrariam partem adductorum distinguimus inter juramentum legitimum & illegitimum. Legitimum enim qui non servat, procul dubio gravissime peccat. Atqui tale, quia vi & metu extortum non est tale, licet supra re licita praestitum, quia & exemplo perniciosum est & contra publicam utilitatem. Ergo ipso jure non obligat jurantem.

QUÆST. IX. *Verum juramentum vi extortum sit ipso jure nullum & absolutione non indigeat?*

Hac in quaestione J. C. non conveniunt. Aliter enim sentiunt Canonistæ & aliter Legistæ, Canonistæ, ut plurimum & quidem communiter asserunt, juramentum vi metuvè extortum valere, adeò ut perjurii notam incurrat, qui non peculiariter ab eo absolutus, maxime eo in casu, quo juramentum praestitum non vergit in dispendium salutis aeternæ. Alii aliter sentiunt, videlicet juramentum vi extortum, esse quidem ipso jure nullum, adeò ut neque restitutione neque absolutione indigeat: tutius tamen esse, ut jurans adeat iudicem & petat ab eo decerni & declarari juramentum non valuisse, quâ sententiâ declaratoria obtentâ, sine ullo periculo jurans contravenire poterit, *arg. c. Abbas, 2. extra de iis, quæ vi metuvè causa sunt, & c. si verò, extr. de jurejur.* Nos verò facimus hac in parte cum Legistis, qui unanimiter statuunt istiusmodi juramenta ipso jure esse nulla, uti disertè probantur *ex authent. Sacramenta puberum, c. si advers. vendit.* ubi clarissima hæc habentur verba: Sacramenta per vim vel justum metum extorta, nullius momenti esse jubemus. Nec obstat, quod objicitur de his, quæ per vim metumvè gesta sunt, *l. metum, 9. §. sed quod prator, ff. quod metus causa.* Sunt enim hæc diversa, negotium vi metuvè gestum & juramentum vi extortum. Negotium enim concernit temporalia: Juramentum verò, spiritualia bona tangit. Hinc fit, ut contractus metu extortus ipso jure sustineatur: juramentum verò vi extortum nullius momenti esse dicatur. Plura de hac quaestione vide apud *Gail. 2. observ. 42. Donell. 21. comm. de jur. civ. cap. 1. Bodin. l. 1. de Repub cap. 1.*

Ζητήματα.

1. Accidentia per se & sine subjecto consistere non possunt. Id



quod Papini A. C. 1414. in Concilio Constantiensi contra naturam asseruerunt, & in Concilio Trident. sessione 13. C. 4. renouarunt.

2. Semel dissolutum & corruptum numero idem naturaliter redire non potest. Inanum ergo laborant, qui resurrectionem ex ratione probare conantur, propterea quod duæ generationes in unum idemque nullo modo terminentur, sed numero diversam producant. Sic motus alius numero, semper aliam rem numero affert & sicuti tempus præteritum numero, quo motus prior mensurabatur, non potest idem redire: ita neque res eadem numerica, quæ ratione generationis, motus & temporis identitatem numericam habere debet.

3. Separata sunt Dei dona, Sacerdotium videlicet & Imperium, Nov. 6. in pr. c. causam, ext. Qui filii sunt legitimi. Malè ergo facit Papa, quod secularibus negotiis se immiscet. Non tantum est prohibitum, c. cum ad verum, dist. 96. Verùm etiam opprobriosum, arg. l. placet, 17. & l. repetita, vers. absurdum, C. de Episc. & Cler. c. cum ad verum, dist. 69. c. sacerdotibus, in fin. c. sed nec procurationes, t. t. Ne clerus vé Monach. secularib. negotiis sese immisceat, Nov. Leon. 68.

4. Consensus non verò concubitus matrimonium efficit, lib. 30. de R. I. Deductio ergo, in domum & benedictio sacerdotalis non sunt de essentia Matrimonii.

EXERCITATIO VI.

DE APPETITU EJUSDEMQUE AFFECTIBUS tam in genere quam in specie.

Resp. Bartoldo Rochovio.

THESIS I.

Quia præcedentibus disputationibus vidimus *subjectum inhaesionis* virtutum, nempe *intellectum & voluntatem* hominis una cum principiis internis actionum humanarum propriis, immediate ex intellectu & voluntate profluentibus: consequens est, ut hac disputatione de *subjecto actionis* videlicet de appetitu ejusdemque affectibus agamus. Idque necessario. Constat enim homo duabus diversissimis partibus, anima videlicet & corpore. Hinc si corpus non additum, Numen homo esset, & si mens corpori non indita, nihil differet homo à pecude: Unde perpetua appetitus & intellectus pugna, quæ tunc aliquo modo tollitur, quando

quando affectus nostri ad mediocritatem reducuntur & à ratione retrahuntur. Ut ergo affectus nostros moderari discamus, manum jam operi huic admovemus.

2. Appetitus est animæ sensitivæ facultas, sua via prosequens & injucunda & ingrata fugiens.

3. Objectum appetitus sunt grata & jucunda. Uti enim motus voluntatis nostræ ad bonum tendit, quâ honestum: sic appetitus tendit ad bonum, quâ suave & jucundum.

4. Honestum nunquam est inhonestum. Non ergo est, quod metuamus, voluntatem honesta appetentem committere in honesta & mala, vel virtutibus opus habere. Nam ad honestum & virtuosum spontè & natura sua voluntas nostra tendit. Verùm cum appetitus qui voluntati est immerfus ad jucunda & grata tendat & sæpius appetat, quæ sunt inhonesta, prospiciendum est virtutibus, ne ad illa jucunda & grata, quæ inhonestatem conjunctam habent, ruat.

5. Affectus ex appetitu profluentes definiuntur, quod sint motus appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali cum aliqua corporis motione.

6. Subjectum affectuum est *anima sensitiva* & quidem potentia appetitiva, non verò sensitiva aut loco motiva, uti neque anima rationalis primario aut vegetativa. Videmus enim bruta animalia & pueros usu rationis destitutos affectibus agitari & moveri: In plantis & herbis istiusmodi non reperimus.

7. Affectuum duo sunt genera: versantur n. vel circa *voluptatem* vel circa *dolorem*.

8. Consideramus autem hoc loco affectus non quatenus materialiter & per corporea organa sese exerunt, vel in animæ facultate nudè consistunt, hoc enim modo Physicæ considerationis sunt, sed quatenus virtutes circa eosdem moderandos sunt occupatæ. Constat enim ex præcedentibus per eosdem tantum ea appeti, quæ sunt judicanda & grata. Ne ergo sub specie jucunditatis appetantur mala & turpia, virtus facit.

9. Dividuntur affectus bifariam, vel ratione objecti vel ratione subjecti. Ratione objecti dividuntur in jucundos & molestos. Ratione subjecti videlicet appetitus, dividuntur in concupiscibiles & irascibiles. Sed res eodem recidit. Nam appetitus concupiscibilis versatur in appetitione jucundorum & appetitus irascibilis in depellendis adversis & ingratis. Nos retinebimus vulgarem & tritam affectuum divisionem, qua dividuntur in duo genera.

Verfantur enim omnes affectus vel circa voluptatem, vel circa dolorem.

10. Voluptas hoc loco nihil est aliud; quàm naturalis appetitivæ facultatis motio à rebus gratis & jucundis proveniens. In qua significatione voluptas definitur: *Quod si motio anima sensitiva subita, statui naturæ conveniens.* Per motionem hoc loco non intelligimus activam motionem, sed passivam. Voluptate enim animal movetur, non movet. Sic Homo voluptate afficitur, non afficit. Animæ sensitivæ primario competit: Unde patet & manifestum est, quod, si voluptas intus lateat, quàm statim sensibus externis sese manifestet & vix ac ne vix quidem celari possit. Subita proinde motio dicitur, quia tantum est intentionalis, quæ non tractum aliquem temporis postulat. Statui naturæ dicitur conveniens ad discrimen doloris. Nam uti dolor naturam in statum inconvenientem & prorsus adversum constituit, imò planè corrumpit & tollit: sic voluptas naturam conservat, eandemque in statum suum congruum ponit.

11. Species voluptatis sunt. 4. Amor, desiderium, spes & lætitia.

12. Principem locum *Amor* meritò sibi vendicat. Hic enim est fons omnium actionum, quæ *Bonum* spectant. Quomodo à dilectione, amicitia, benevolentia & charitate differt, vide apud *Pic. 87. 7. cap. 2.*

13. Definitur Amor: Quod sit affectus, quo animus bonum amatum sibi coaduniri & unum quasi cum eo fieri eupit, *Scal. exerc. 301. sect. 1.*

14. Causa amoris duplex est: Principalis & minus principalis. Principalis est Bonum per modum objecti. Trahit enim ad se appetitus noster omnia pulchra & cum iisdem cupit coaduniri & copulari. Ut ergo hoc fiat modo licito, facit virtus. Minus principales seu causæ adjuvantes sunt plurimæ, ut est comitas morum, ingenii elegantia, venustas, consuetudo, &c.

15. Hinc ergo oritur amor duplex: *Virtuosus & jucundus*, sive quod idem est, *licitus & illicitus.* *Virtuosus* seu *licitus* amor dicitur, qui honestate non verò sola jucunditate & pulchritudine perficitur. *Jucundus* sive *illicitus* est, qui tantum jucunditate & pulchritudine illâ, quâ appetitus noster movetur perficitur. Ille solius est hominis: Hic verò brutis etiam convenit: Ille ex ratione & ex bono per se oritur: Hic ex cæca libidine, sine iudicio, sine modo, sine bono fine: Ille accedit animo: Hic corporis delectationem summò modo creat & plerunque oculis & auribus sese insinuat.

16. De-

16. Desiderium est appetitus rei non habitæ. Differt ergò ab amore, quod amor sit præsentium, desiderium verò absentium bonorum. Et quod desiderium sit affectio amoris perpetua eundemque comitetur. Unde & signum & nota dicitur, quâ se amor, tanquam per notius quid, manifestatur.

17. Causa desiderii est bonum absens, quod dum per se felicitatem suam non intelligit, propterea, quod non respiciat, unde venerit, sed tantum quo tendat, fit, si virtus à desiderio absit, ut multa vitia exinde oriantur.

18. Spes sumitur 2. 1. pro animi perturbatione relata ad futurum bonum, & sic realiter non differt à desiderio. 2. pro fructu & termino rei. Hinc rectè dicitur, quod respectu boni alicujus motus incipiat ab amore, procedat in desiderium & terminetur in spe: uti contra respectu mali, motus incipiat ab odio, procedat ad fugam, terminetur in timore.

19. Definitur spes: Quod sit affectus, quo animus futurum bonum appetit sibi que consequentem concipit. Unde 4. spei propria existunt. 1. Quod spes tantum sit de bonis. 2. Quod de bonis in absentia. Nam quod quis habet, non sperat. 3. Quod sit facultatis irascibilis non concupiscibilis, atque sic differt à desiderio. 4. Quod sit rerum possibilium.

20. Spes duplex est: Theologica & Politica. Theologica non est omnium hominum, sed tantum fidelium, occupata in bonis futuræ vitæ. Politica est omnium hominum & occupata in bonis hujus seculi, iisque corporalibus & civilibus. Non de priore, sed de posteriore hoc loco agimus.

21. Gaudium à rei amatæ, desideratæ, speratæ, consecutione & fruitione oritur. Differt à lætitia & hilaritate, ut res signata à signo. Sunt enim lætitia & hilaritas verum iudicium interni gaudii: quorum lætitia in gestibus, hilaritatis in vultu conspicitur, gaudium verò solius cordis est.

22. Definitur gaudium: Quod sit affectus, quo animus propter bonum præsens & jam adeptum commovetur ad gaudium. Et tantum de affectibus, ex objecto grato & jucundo ortis.

23. Affectus ex objecto malo sive ingrato & injucundo, & circa dolorem versantes sunt itidem. 4. Odium, ira, metus, tristitia.

24. Odium est affectus objectum ingratum & injucundum fugiens.

25. Causa odii externa duplex est: vel est verè malum. Si boni oderunt improbos, vel est apparens malum. Sic mali & scelerati homines odio habent leges & magistratus.

26. Di-

26. Distinguitur odium ab invidia ratione subjectorum. Odi-
dium omnibus animalibus inest & in quibusdam magis, ut in per-
fectioribus, in quibusdam minus perspicuum, ut in imperfectiori-
bus: invidia soli homini competit: Et oritur vel ex virtute, vel ex
rebus secundis alterius. Unde non ineleganter definitur à *Cic. 3.*
Tusc. quod sit ægritudo ex alterius rebus secundis orta. Hinc vir-
tutis comes invidia rectè nuncupatur. Nam plerumque virtutem
& bonos insectatur.

27. Odium si natura alicui inditum, insanabile est, nec desistit
talis malefacere parti alterius, nisi cum desit malefaciendi occasio.
Invidia & odium variè curari possunt, non tantum subducta occa-
sione, verum etiam si huic omnem benevolentiam exhibueris.

28. Ita ab odio multis modis differt, & quidem præcipuè ori-
gine. Nam ita magis est generosorum pectorum, quam odium.
Ita est ipse appetitus agens in objectum ingratum & injucundum
sub ratione vindictæ: odium est affectus seu passio, qua appetitus
ab objecto ingrato patitur.

29. Ita est affectus ex incensione sanguinis & spirituum circa cor,
ira ut cor ex objecti præsentia coarctetur, & mox etiam tanquam
objectum repellere cupimus, dilatetur.

30. Duplex in ira motus cordis est. 1. Est restrictio & quasi com-
prehensio cordis, orta ex malo præsentis. 2. Est dilatatio cordis, qua
conatur malum propulsare & in ipsum auctorem rejicere, qua ra-
tione sanguis & spiritus in corde retenti quasi ex castris suis pro-
rumpunt & à corde ad partes exteriores antrosum meant.

31. Causæ iræ sunt vel interiores vel exteriores. Interiores cau-
sæ à natura sunt. Nam qui calidioris sunt temperamenti propen-
siores sunt ad iram, quam sicciore.

32. Causæ exteriores sunt vel principales vel administræ. Prin-
cipales sunt vel res vel personæ molestiam creantes. Administræ
sunt, tempus, locus & aliæ circumstantiæ.

33. Metus seu timor est affectus ex spirituum & cordis compres-
sione & imminentis & futuri mali fuga ortus. Hinc objectum
timoris est malum non absolute sed difficile. Causæ sunt variæ,
utpote malum impendens, mors, cruciatus, infamia, bonorum a-
missio & omne quod detrimenti quid asserere potest.

34. Tristitia est affectus seu motus cordis, quo contrahit &
constringit ob præsens malum. Objectum tristitiæ est malum
præsens, atque in eo differt à timore.

QUEST.

QUÆST. I. *Vtrum subjectum affectuum sit mens & voluntas, an verò appetitus?*

Ardua fuit altercatio inter Stoicos & Peripateticos de adæquato affectuum subjecto: Illi enim voluntatem & mentem: Hi verò appetitum pro affectuum subjecto ventilârunt. Verùm Stoicæ opinionis falsitatem ex eo facile deprehendes. 1. Quod nullum accidens inveniatur, nisi in suo adæquato subjecto: jam cum bruta & pueros recentes affectibus, utpote, ira, metu, gaudio & similibus agitari videas, subjectum affectuum mens & voluntas, cujus usu pueri adhuc destituuntur & bruta in totum carent, nullo modo esse potest, aliâs enim bruta & pueri iisdem agitentur. 2. Præterea restatur experientia, affectus aliquam corporis commotionem conjunctam habere, id quod in omni terrore ac metu facile apparet, & propterea manifestum est iudicium, affectus non in facultate spirituali, sed in aliqua materiali facultate radicari. Huc accedit, quod intellectivæ potentia operationes omnes sint immateriales & nullis utantur corporis organis, quibus corpus afficiant ac moveant. Quin imò cum actio & facultas semper occupentur circa idem subjectum, & affectus sese manifestent & operentur per corporalia organa, concludendum omninò est, appetitum sensitivum, subjectum esse affectuum & non voluntatem. Non tamen minus inficias, quosdam affectus competere menti & facultati animæ rationalis, sic enim cernimus voluntati inesse gaudium & amorem; sed non originaliter propriè & primariò & per se, sed quatenus mens nostra ab appetitu eisdem recipit, illi imperat, metam præscribit & terminat, *Pic. 1. gr. c. 8. 9.*

QUÆST. II. *Vtrum affectus sua essentia ac natura sint mali?*

Stoici non tantum mentem hominis subjectum affectuum voluerunt; verùm etiam affectus mentis corruptiones, & sic toto genere & sua latitudine malos statuerunt. Verùm, erroneam esse & hanc Stoicorum opinionem ex hoc unico argumento facile patet. Quicquid causam habet per se bonam, & similiter bonos producit effectus, id per se non est malum, sed bonum: Atqui de affectibus verum est antecedens. Ergo & conseq. Causam per se bonam affectus habent videlicet Deum omnis boni auctorem, qui non tantum brutis animalibus eosdem increavit, verùm eosdem etiam approbavit in hominibus, utpote dilectionem seu amorem Dei & proximi, *Matth. 22. v. 37. Rom. 12. vers. 9. Timorem, Deut. 3. vers. 10. gaudium, Proverb. 21. v. 15. misericordiam, Luc. 6. v. 36. &c.* Bonos etiam

etiam effectus, affectus generant. Misericordia enim facit sublevari pauperem: metus poenarum facit iusta agere: Spes erigit afflictos & bona sperata facit prosequi, amor benefacit proximo. Et sic de cæteris. Non tamen abs re est, affectus interdum à propria sua essentia denegare & per accessiones extrinsecas in malis ac vilibus hominibus pravari, uti videmus in invidia & *ἄνυχαισεναιία*. Sed uti naturam suam, quæ per se bona, non exiit malus: ita neque affectus per se boni esse desinuat, quamvis uti dictum, per accessiones extrinsecas interdum corrumpantur & in pravos degenerent.

QUÆST. III. *Vtrum homo pluribus affectibus obnoxius quàm bestia, & ob id animal miserrimum dicatur?*

Nullum animal tot perturbationum fluctibus obnoxium esse inde patet. Homo enim plura cognoscit, quàm reliqua animalia, cognita appetit, & sic appetendo movetur & perturbatur. Est præterea homo ita à natura dispositus, ut citius perturbationes imbibe possit, quàm reliqua animalia. Solius enim homo, propter cutis tenuitatem titillatur; solus homo affectione quapiam turbatus intrinsecus, confestim ruborem vel pallorem emittit extrinsecus, quod in cæteris animalibus non facile deprehenditur. Sed inde non sequitur, quod Plutarchus & Plato voluerunt; hominem esse animal miserrimum. Homo enim per se & natura sua pluribus quidem est affectibus subjectus, quàm bestia, sed bonis, & talibus, qui à ratione & voluntate non ad destructionem & miseriam, sed ad perfectionem hominis diriguntur. Hinc dicuntur virtutum incitamenta & comites individui. Nam quicquid per corpus expeditum vult ratio, id appetitui mandat, qui per affectum suum & omnibus ad eam rem necessariis facultatibus & organis iussa exequitur & in effectum producit, ut tutius homo animal nobilissimum, quàm miserrimum dici & appellari possit.

QUÆST. IV. *Vtrum in virum bonum cadant affectus?*

Negarunt id ipsum Stoici ex antea adducto fundamento, quod affectus malos & pravos naturâ dixerint. Verùm quàm ruinosum & caducum hoc fundamentum sit, ex præcedentibus quæstionibus satis superque constat. Insuper accedit experientia omnium rerum magistra, quæ docet, viros optimos non tantùm leniter & leviter affectibus esse actos, verùm etiam tam vehementer motos, ut cum ipsis affectibus, præ nimio gaudio & tristitia spiritum efflarent. Exempla invenies apud Historicos plurima. Sic Rhodius Diago-

ras, cum ejus tres filii uno eodemque victrici lauru insignirentur, præ nimio gaudio inter ipsorum amplexus animam exhalavit. *Cic. 2. Tusco.* Philippides comicus, cum præter spem ex Poëtico carmine palmam ac coronam consequeretur, ex insolenti lætitia repente mortuus est. Zanxis pictor celeberrimus inter ridendum expiravit. *Polyd. lib. 1. Inst. Angl.* Sic de oculis Romanorum prodidit Livius, quod visi sint ardere in prælio. De Tiberio Cæsare constat, quod solo aspectu militibus suis terrorem incusserit. De Carolo V. dicitur, quod prælium initurus vultum omninò mutavit, & instar Leonis severum vultum induerit. Falsum deinde est, quod porro adfertur, affectum esse opinionem quandam viro prudenti minime convenientem. Nam ex præcedentibus constat, affectus ad animam irrationalem & quidem ad appetitum sensitivum pertinere, & opinionem ad intellectum. Distingui tamen nihilominus potest inter affectum naturæ & habitum malitiæ, ille viro prudenti & bono omninò convenit: Hic verò minime eundem decet.

QUÆST. V. *Vtrum amor sit Passio?*

Amorem non esse passionem, videtur probari posse his argumentis. 1. Quia amor est virtus, teste *Dionys. in cap. de divin.* 2. Quia est unio quædam seu nexus, *secundum August. in libr. de Trinit.* 3. Quia est principium motus. Movet enim appetitum ad complacentiam, &c. Contrarium asserit Aristoteles, idque ex definitione passionis hoc modo: Passio est effectus agentis in patiente: Atqui Amor est effectus agentis in patiente. Ergo: &c. Minorem Aristoteles statim probat. Nam dum ipsum appetibile movet appetitum ad complacentiam, simul etiam agit in ipsum & sic effectum suum amorem videlicet, producit. Verum ut huic quæstioni satisfaciamus, quædam præmittenda esse putamus. Illud in primis hoc loco sciendum est, quod omne agens naturale duplicem inducat effectum in patientem. 1. Dando formam. 2. Dando motum, consequentem formam: Sic etiam hoc loco appetibile aliquod objectum agit in appetitum, illumque movet ad complacentiam, quæ complacentia est primus effectus, & dicitur affectio & passio istius appetitus, quæ affectio & passio amor appellatur. Quatenus verò ista complacentia motum quendam conjunctum ad appetibile habet, eatenus amor non dicitur affectio vel passio, sed potius est principium motus; sic enim vigore istius amoris & complacentiæ tendit appetitus realiter in appetitum consequendum, & sic efficit desiderium. Quibus præsuppositis, facile est respondere ad argumenta opposita.

QUÆST.

QUÆST. VI. *Vtrum redamare sit de essentia & necessitate amoris?*

Jure optimo suspicari posses, id esse planè necessarium, ut si aliquem ames; ab eo vice versa redameris. Nam sunt pro quæstionis affirmativa non levia fundamenta. 1. Quia amor prodit ex ipsa natura. Ergo necessitatem quandam annexam habebit. 2. Quia propter similitudinem & convenientiam naturalem movemur ad amandum. Ergo necesse est, ut ob eandem similitudinem & convenientiam vice versa redamemur. 3. Quia amari & honore affici sunt similia: Atqui cum honore affici nobis sit gratissimum, amari pariter gratissimum erit, & per consequens amantem ut rem gratam nobis facientem, & testem probitatis nostræ, ut nobis natura consilium, non valemus non amare. 4. Quia non amare amantem est genus injustitiæ & cum improbitate conjunctum. Verùm experientia nos docet, multos amare & non amari, & hinc varias adversus amantium amorem prodire querimonias. Ut ergo nostram in hac quæstione aperiamus sententiam, pro decisione quæstionis distinguendum esse putamus inter amorem jucundum, utilem & honestum. Quod si jam sermo sit de amore quærente vel jucundum vel utile. Resp. non esse necesse, ut amans redametur. Nam sic usovenire potest, ut unus alteri vel utilitatem vel jucunditatem præbere possit, sed non vice versa ab eodem experiri. Hinc Poëtæ finxerunt amorem uti sagittis duplicis generis, aureis videlicet & plumbeis. Accidere enim potest, ut unius partis sagittæ sint aureæ, & alterius plumbeæ. Hoc si fit, qui potest amans vice versa redamari; Sic usovenit, quando pauper diligit puellam divitem, & senex juvenulam. Sic interdum usovenit, ut quis alterum diligat propter rem aliquam adhærentem, ut sunt, eruditio, divitiæ, honor, &c. Et sic hisce modis necesse non est, ut quis redametur. Quod si verò quis solius virtutis & honestatis ratione aliquem amat, non tantum dignus est, ut redametur, verùm etiam justitia efflagitat, ut par pari tribuat. Nisi alia interveniant adjuncta, per quæ indignus est amari.

QUÆST. VII. *Vtrum præstantius sit amari quàm amare?*

Pugnant inter se Plato & Aristoteles, ut videre est apud *Pic. gr. 7. cap. 14.* Plato, quamvis non videatur sibi constare, interim tamen propugnat, amare præstantius esse quàm amari: Et quidem his imprimis fundamentis: 1. Quia amare est actio, quæ passione præstantior. 2. Quia amare est in nostra potestate, amari non item.

3. Quia

3. Quia amare aliquem, est honore aliquem afficere: Atqui honor & laus magis sunt honorantis quam honorati, &c. Contra Aristoteles præfert amari, & quidem his rationibus. 1. Quia quod amatur obtinet rationem objecti, finis & perfectionis. 2. Quia optabile nuncupat bonum divinum, appetens verò dicitur bono carens, proinde bonum definitur, quod omnia appetat. Pro decisione quæstionis tenendum est, alio modo considerari amare & amari per se, & alio modo facta comparatione. Priori consideratione instituta, amare semper est præstantius amari ob dictas rationes. Posteriori modo facta comparatione inter amantem & amatum, præstantia est desumenda ex copia & inopia amatoris & rei amatae. Quibus positis, talem facimus assertionem: Id cui copia competit est præstantius altero cui inopia: Atqui copia interdum est in solo amante, ut quando Deus amat creaturas: interdum in amato, ut quando dives amatur à paupere: interdum in utroque, idque secundum prius & posterius, ut in marito & fœmina.

QUÆST. VIII. *Utrum ad morem plus faciant oculi, quam lingua?*

Dicitur in communi proverbio: *Ni videant oculi, cur non suspicia ducat.* Et hinc Poeta canit: *cor mihi amica suis intum transfixit ocellis.* Hinc Publius Mimus: Amor ut lacrima ab oculis oritur & in pectus cadit. Et quamvis oculi fallant: lingua tamen longe fallacior est, quæ sæpenumero cordis affectus abcondit & aliud loquitur, quam cor sentit. Oculi contra sunt organa interiorum affectuum, per quæ affectus in homine sese ostendunt & manifestant & nobis invitis etiam id detegunt, quod intrinsecus in corde absconditum. Sic pro cuiuslibet affectus ratione in animo, nos lætos, mæstos, stupidos, iratos, contra etiam voluntatem nostram, oculi ostendunt. Concludendum igitur esse putamus, oculos, certius signum amoris esse, quam loquelam, & propterea primam esse gradum ad amorem.

QUÆST. IX. *Utrum causa & objectum odii sit malum?*

Negari hoc posse videtur his rationibus. 1. Si omnne, quodcumque est, bonum est, nulla res odio habetur: Atqui prius verum est. Ergo & posterius. 2. Si odio prosequamur res malas, odium erit laudabile. Atqui prius per assertionem nostram verum. Ergo & posterius. 3. Idem non potest esse simul & bonum & malum: Atqui idem diversis est odibile & amabile. Ergo odium non tantum est mali, verum etiam boni. Nos verò affirmativam tenemus partem.

E

tem

tem, idque propterea, quod odium è diametro contrarietur amoris. Atqui sicuti causa & objectum amoris est bonum; ita ex adverso causa & objectum odii erit malum. Nihilominus tamen distinguendum esse putamus, inter malum & bonum appetitus & rationis. Loquimur enim h. l. de malo appetitus. Appetitus enim naturalis derivatur ab aliqua apprehensione; uti jam unumquodque naturalem habet consonantiam, aptitudinem & convenientiam vel etiam dissonantiam & inconvenientiam ad appetitum, ea ratione dicitur aliquid vel bonum vel malum appetitui. Ad argumenta opposita. Resp. ad 1. distinguendo inter bonum quatenus Ens in genere & quatenus est Ens determinatum ad aliud Ens. Non priori modo sed posteriori Ens malum dicitur: Sic ignis quatenus ad aquam terminatur, malum dicitur. Ad 2. Resp. per inversionem. Sicuti contingit, ut aliquis appetitu apprehendat bonum, quod non est verè malum. Unde sequitur, quandoque nec odium revera mali absoluti, nec amorem boni absoluti esse, sed tantum esse malum & bonum respectu convenientiæ & discrepantiæ cum alterius appetitu. Ad 3. Resp. Unum idemque posse esse & odibile & amabile secundum appetitum naturalem, qui cum sit diversus, facit, ut res huic appareat grata, alteri verò ingrata.

QUÆST. X. *Utrum aliquis possit odio habere semetipsum?*

Affirmari hoc posse videtur his rationibus. 1. Ex *Psal. 10.* Qui diligit iniquitatem, odit animum suum: Atqui plurimi diligunt iniquitatem, Ergo, &c. 2. Hoc odimus, cui volumus & operamur malum: Atqui homo sæpe numero sibi ipsi operatur malum. Ergo, &c. 3. Omnis homo odit avarum. Atqui quidam sunt avari. Ergo odiant se ipsos. Verum negativa quæstionis est verissima, propterea, quod unum quodq; appetat bonum naturaliter & quod natura tendat non ad sui corruptionem sed conservationem & perfectionem, &c. Pro quæstionis decisione nihilominus notandum: Unumquemque semetipsum odio habere non posse per se; verum per accidens fieri potest, ut quis semetipsum odio habeat. Uno modo ex parte boni, quod sibi aliquis vult, accidit, ut bonum secundum quid appetat, quod tamen simpliciter malum: Altero modo, ex parte sui ipsius, cui vult bonum. Sic enim contingit, ut aliquis velit & cupiat hoc, quod secundum naturam corporalem & animam sensitivam bonum est; illud verò non cupiat, quod bonum & secundum veram essentiam & formam. Et sic sæpe numero homines

mines se perdunt & odio prosequuntur. Hinc patet Resp. ad argumentum 1. superius in contrarium adductum. Ad 2. Resp. Neminem sibi velle & facere malum, nisi in quantum illud apprehendat sub ratione boni. Nam & illi qui interimunt semetipsos, apprehendunt hoc ipsum mori sub ratione boni, in quantum mors est terminus hujus miseriae & doloris. Ad 3. Resp. Quamvis avarus odio habeat aliquod accidens sui, non tamen propterea odio prosequitur semetipsum. Sic æger odit ægritudinem sui corporis, non tamen proinde semetipsum odit.

Quæst. XI. *Verum aliquid possit odio haberi in universali?*

Pro Negativa quæstionis adferri possunt hæc argumenta. 1. Si odium est passio appetitus sensitivi ex apprehensione sensibili orta sequitur odium non esse rerum universalium sed tantum singularium, propterea, quod sensus non possint apprehendere universalia, quæ apprehensio fieri dicitur, per abstractionem à materia: Atqui prius est verum. Ergo & posterius. 2. Odium dependet ex aliqua dissonantia: Atqui dissonantia communitati alicujus repugnat. Ergo. 3. Objectum odii est malum: Atqui malum est in rebus, non in mente. Ergo. Affirmativam tenet Aristoteles 2. Rhet. ubi dicit: quod ira fiat inter singularia, odium verò etiam ad genera dirigatur. Et Aristotelis sententiam veram esse, experientia docet. Sic furem & calumniatorem non in specie, sed in genere odit unusquisque. Sic ovis non modo hunc lupum, sed in genere lupum odit. Sic pullus in genere Milvum odit, &c. Pro quæstionis decisione notandum: Quod de universali dupliciter contingat loqui. Uno modo in quantum subest intentioni universalitatis: alio modo in quantum dicitur de natura, cui talis intentio attribuitur. Sic alia est consideratio hominis universalis, & alia est hominis in eo, quod est homo. Ad contraria argumenta quod attinet Resp. ad 1. Quod sensus non apprehendunt universale, quia universale, apprehendunt tamen aliquid, cui per abstractionem accidit universalitas. Ad 2. Quamvis id, quod est commune omnibus, non possit esse ratio odii, nihil tamen prohibet, quin aliquid dissonans sit commune multis. Ad 3. dicendum, quod procedat de universali, in quantum substat intentioni universalitatis.

Ζητήματα.

1. Substantiis nulla competit contrarietas. Dupliciter enim substantiæ considerantur: uno modo in se secundum suas nuditates &

essentias: altero modo quatenus vestitæ sunt accidentibus. Priori modo non ovi lupus, non cornix noctuæ, non columbæ accipiter, non milvus pullo, non aqua igni, &c. Posteriori vero modo contrariorum attributorum ratione omnino contrariantur.

2. Una est in Homine anima, quæ in tres distinctas potentias distribuitur, videlicet in vegetativam, sensitivam & rationalem.

3. Religio spiritualibus armis, non ferro ac vi propagari debet: nec bellum ob diversitatem religionis inferendum. *Constit. Imp. Anno 1530. §. Wir auch Churf. re. cum §. subseq. Anno 1555. §. Es soll auch kein Standt den anderen re.*

4. Non absolute verum est: Principem in suo territorio idem posse, quod Imperator in universo regno. *Constit. Imp. Anno 1576. §. Der Durchl. Verf. zu unsern Keyserlichen sonderlichen Hochheiten re.* De suprema ergo potestate & præminentia non est intelligendum, quamvis de ordinaria jurisdictione concedendum, *Gail. l. c. 6. n. 16. de Pac. pub.*

EXERCITATIO VII.

DE FORTITUDINE.

Resp. Iohanne Volperto à Schütz / dicto Görtz.

T H E S I S I.

Cognitis communibus & generalibus principis & causis virtutum moralium; ad eorum specialem tractationem, quam à fortitudine auspiciamus, facimus accessum.

2. Vocabulum fortitudinis vel latinis à ferendo nomen accepit propterea, quod fortis ardua ac difficilia ferre ac sustinere potis sit. Vel Græcis ἀνδρεία ἀνδρὸς à viro dicitur, propterea, quod hæc una omnium virtutum maxime viro digna inveniatur. Sumitur porro variè. 1. Generalissime pro omnibus virtutibus, *Pic. gr. 4. cap. 21. in fin.* 2. Pro quovis contemptu periculorum, & sic audaciæ quoque competit. 3. Pro corporis & virium naturalium vigore. 4. Pro virtute morali, quatenus res magnæ in periculorum susceptione cum recta ratione geruntur.

3. In ultima significatione hoc loco fortitudinis vocabulum capitur & definitur: Quod sit virtus moralis servans mediocritatem circa metum & fiduciam.

4. Etque 2. Vera & apparens. Vera est virtus moralis circa metum & fiduciam in periculis & laboribus solius honestatis & publi-

publicæ utilitatis gratia, adeundis & perferendis, mediocritatem servans.

5. Objectum fortitudinis aliud est internum & aliud externum. Internum, quod actui primo seu quod idem est rebus internis, in quibus regendis & moderandis fortitudo occupata, correspondet, sunt ipsi affectus in homine, *metus videlicet & confidentia*.

6. Externum, in quo ipsi affectus exercentur, est rursus. 2. *Generale & speciale*. Generale est rursus. 2. *Primum & secundarium*. Primum sunt *φοβερά*, hoc est, ea, quæ metum & terrorem homini in periculis incutiunt: Primum dicuntur, quia in terribilibus magis conspicui vis fortitudinis potest. Secundarium objectum sunt *παράλλαξα*, hoc est, ea, quæ nobis fiduciam in periculis adferre possunt, ut sunt divitiæ, munitiones, arces, arma, militum copia, &c.

7. Veræ fortitudinis species duæ sunt: *Togata & bellica*. *Togata*, cujus usus est domi in pace & administranda Repub. *Bellica*, qua mortem bellicam vir fortis subire incitatur.

8. Apparens fortitudo est, quæ non tam honestatis, quam aliquo specioso nomine, aliasve ob causas exercetur.

9. Dividitur vulgò in 5. species: In *civilem, militarem, iracundam, fiduciariam & insciam*.

10. Civilis est, quam leges à singulis civibus in defendenda patria, propositis præmiis & pœnis exigunt.

11. Militaris est, quæ milites ob rei militaris experientiam & spoliis capiendi causam ad pericula adeunda instigat.

12. Iracunda est, per quam ex odio, ira aut vindictæ cupiditate, sine certo consilio magna pericula adeuntur & ad tempus sustinentur.

13. Fiduciaria, quæ externa præsidia in periculis prævisis, propter spem de victoria obtinenda conceptam, excitat.

14. Inscia est animositas in adeundis periculis ex periculorum ignorantia orta.

15. Extrema seu opposita fortitudinis sunt. 2. vitia, quorum unum in excessu est, & dicitur *Audacia*; alterum in defectu, & dicitur *Timiditas*.

16. Audacia est præceps impetus sine ratione, hominem ad pericula impellens, ex nimia arrogantia vel fiducia ortus.

17. Timiditas est, qua in confidendo deficiamus, & ea, quæ non debebamus, metuimus.

QUÆST. I. *Vtrum specialis tractatio virtutum rectè inchoetur à virtutibus moralibus & à fortitudine rectè initium fiat?*

Quamvis asserente *Pic. gr. 4. c. 29.* non multum referat, quo ordine pertractentur virtutes, præsertim cum in tractatione specierum perinde sit, à qua fiat initium: Ordinem tamen ab Aristotele observatum approbamus. Et ut rectè progrediamur ad quæstionis scopum, divisio imprimis attendenda est, qua virtus refertur vel ad Deum vel ad proximum. Quæ ad Deum refertur. *Pietas* nominatur, & ad Ethicam non pertinet. Quæ vero ad proximum refertur, duplex est: *Moralis & Intellectualis*. *Moralis* non ratione dignitatis & excellentiæ, sed ratione hujus disciplinæ, in qua principem obtinet locum, intellectui hoc loco præponitur. Ordinem virtutum moralium quod attinet, sciendum est, easdem esse in duplici differentia: Quædam enim dicuntur *Cardinales* seu principales, & quædam minus principales. Principales seu *Cardinales* sunt. 4. *Prudentia, justitia, temperantia, fortitudo*. Dicuntur *Cardinales* propter principalitatem objecti. Considerantur enim dupliciter: uno modo secundum omnes rationes formales virtutum: sic *omnis* virtus faciens in operationibus bonum debiti & recti dicitur *Justitia*: Et *omnis* virtus deprimens & cohibens passiones, dicitur *Temperantia*: Et *omnis* virtus ostendens robustum animum contra quascunque passiones, dicitur *Fortitudo*: Et *omnis* virtus servans in actionibus debitam & rectam rationem, dicitur *Prudentia*: Altero considerantur hæ virtutes una cum cæteris minus principalibus, ratione propriæ materiæ. Atqui cum virtutes morales hoc loco non priori sed posteriori modo sumantur, hoc ordine ab Aristot. rectè explicantur & tractantur. Nam sic referuntur vel ad habentem vel ad alios. Ad habentem quæ referuntur, sunt duæ priores, quarum prior versatur in moderatione affectuum animi, posterior in moderatione affectuum corporis. Rectè ergo Aristoteles à fortitudine orditur. 1. Quia fortitudo versatur circa difficiliora, quod est proprium virtutum. 2. Quia fortitudinis usus est maximus, & elucet imprimis in rebus ponderosissimis, conservationem civilis vitæ spectantibus. 3. Quia veteres illam solam putabant virtutem esse. *Scal. Exer. 266. & Exer. 300. sect. 3.* 4. Quia est propria virtus viri. Nam uti apud Latinos virtus à viro; ita apud Græcos ἀνδρεία ἀπὸ τοῦ ἀνδρός à viro dicitur. 5. Quia ejus virtutis actiones maximè cadunt in admirationem. 6. Quia for-

tem esse, propriè Dei est epitheton. *Gol. 3. cap. 6. Pic. de gr. Mag. c. 2. libr. 3. Eth.*

QUÆST. II. *Vtrum fortitudo competat
fœminis?*

Quamvis fœminæ sint longè imbecilliores & infirmiores viris, proinde fortitudo à solo viro Græcis denominationem acceperit; non tamen sequitur fœmineo sexui illam omninò prorsus dene-gandam. Exempla enim contrarium satis evincent; Judith speci-men edidit haud contemnendum: Idem suo exemplo demonstra-vit Bruti uxor nomine Porcia, & uxor Asdrubalis, quarum fortitu-dinem prædicat, *Val. Max. lib. 3. c. 2.* Quibus accedunt & Ama-zones, si vera sint omnia quæ de iis narrantur apud Quintum Cur-tium *lib. 6.* & alios auctores. Denominationem fortitudinis, quod attinet, constat illam factam esse à potiori, atque sic satis validum argumentum inde deduci non potest.

QUÆST. III. *Vtrum objectum fortitudinis sint
quacunque terribilia?*

Objectum fortitudinis varium faciunt auctores: Alii ex Aristo-tele. 3. *Nicom. 7.* adæquatum fortitudinis objectum faciunt mor-tem & pericula bellica. Alii in specie ponunt metum & timorem. Alii omnia mala sive omnes res arduas ac difficiles. Nos pro quæ-stionis hujus decisione distinguendum putamus inter terribilia. Sunt enim terribilia quadruplicia. 1. Quædam sunt *Φαινομένωσ
φοβερά* apparenter terribilia, quæ rursus in duplici differentia sunt posita; quædam enim sunt, quæ terrent, cum terribilia non sint, & sunt res, quæ fanciis conscientiis objiciuntur, de quibus *Levit. 26. v. 36. & Prov. 28. v. 1.* Quædam verò contrà sunt terri-bilia, sed non terrent, ejusmodi est, cum quis hostium armis objici-tur, qui unguentis & medicamentis membra & corpus ita conso-lidavit, ut vulnerari prorsus nequeat. 2. Quædam sunt terribilia *ὑπὲρ ἀνθρώπων*, ut sunt, ira Dei fulmina, portenta, &c. 3. Quæ-dam sunt terribilia in se mala secundum malitiam; ut sunt rerum malarum comites & earundem fructus, cujusmodi sunt omnia vi-tia carceres & supplicia. 4. Quædam sunt terribilia juxta homi-nem honesta, de quibus hoc loco sermo est. Horum ergo, cum sint duo gradus, (quædam enim magis, quædam minus fortitudinem concernunt) fit, ut pro diversitate horum graduum, aliud sit com-mune & aliud speciale objectum fortitudinis. Commune ergo ob-jectum fortitudinis sunt omnia terribilia secundum hominem honesta:

Speciale objectum fortitudinis est, quod versatur circa maxime terribilia, atque sic est mors bellica.

QUÆST. IV. *Vtrum mors sit omnium terribilium terribilissimum?*

Pro quæstionis decisione notandum, hoc loco non considerari hominem, quatenus est fide Christiana imbutus, sed quatenus constat corpore & vita. Hac enim ratione asserimus, mortem esse omnium terribilissimum. Et quidem non immerito; Est enim mors ultima linea rerum, corpus tollit, & quoad sceleratos & impios animam æternis cruciatibus objicit. Quin imò non tantum corpus & vitam tollit, verum etiam omnem spem, quæ est in cæteris malis unicum solatium, omninò adimit.

QUÆST. V. *Vtrum fortitudo hominem Christianum deceat?*

Fortitudo duplex est: Togata & bellica. De illa certaminis quid esse haud arbitror: Hanc verò non tantum in dubium vocare, verum in totum damnare contendunt Anabaptistæ. Verum nos contrarium defendemus, ita tamen, ut fortitudo bellica duplici sit circumscripta ac definita requisito. 1. Ut fortitudo hominis bellica nitatur auctoritate publica. Nam si privatus pro voluntate & beneplacito arma sumpserit, tum facit hoc cum præsentissimo sui ipsius exitio: *Matth. 26. v. 25.* 2. Causam habeat vir fortis & justam & necessariam.

QUÆST. VI. *Vtrum honestum sit viro forti fugam adornare?*

Quamvis viro forti, qui mortem ipsam timere non debet, fugere probrosum videatur: Interim tamen cum necessitas legem non habeat, melius & prudentius facit vir fortis, qui omnia ad Reipubl. salutem dirigere debet, si in præsentissimo mortis periculo, eo videlicet casu, cum intelligat morte sua nihil posse Reipubl. prodesse, fugam adornet & se ad meliora tempora reservet, quam si contra stimulum calcitraret & non tam sibi, quam Reipubl. detrimentum maximum inferret.

QUÆST. VII. *Vtrum fortitudo nobilitet?*

Dux sunt alæ nobilitatis, *Ars videlicet & Mars.* Artem quod attinet nullum est dubium, quin nos ad fastigium nobilitatis evehat, *l. providendum, C. de postulando, l. 4. de Excusat. Rebuff. de Privileg. Scholast.* Militiam quod attinet, quamvis per se non nobilitet; apud Romanos enim omnes cives militare cogebantur, & non propterea omnes fiebant nobiles *uti patet ex l. si libertus, C. si servus, aut libert.* quin imò solos Decuriones nobilitate insignitos fuisse conjecturare possumus *ex l. 1st. C. de decurionib.* Interim ta-

men

men si fortissimo animo aliquot annos pro patria pugnarit & multos vires fortes devicerit, optimo jure titulum nobilitatis petere & ambire potest.

QUÆST. IIX. *Vtrum deceat virum fortem fidem hosti datam frangere?*

Affirmant hoc cum Bart. in l. 5. ff. de pactis, & Machiavello, c. 18. de princip. alii multi moti his rationibus. 1. Quia pacta vi & metu extorta servari non debent, l. 7. §. prator ait, ff. de pactis, & t. 8. ff. C. Quod metus causa. 2. Quia nihil ad justitiam interest, utrum ex insidiis aliquis vincat, an verò aperta pugna, c. Dominus noster, 2. caus. 23. q. 2. 3. Quia jus & fas est dolo malo & fallacia in hostem uti, l. 26. de Postlim. & capt. 4. Quia bonus est dolus, si quis adversus hostem machinatur, l. 1. §. non fuit, ff. de dolo malo. 5. Quia ignoscendum illis est, qui sanguinem suum, qua ratione possunt, redemptum cupiunt, l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sunt. 6. Si ob bonum finem licitum sit, decipere suos parentes & amicos, multò magis hostem: Atqui Antecedens probatur exemplo Jacobi, qui matris auxilio decepit suum patrem, Genes. 27. Item Abrahami exemplo, qui decepit Pharaonem, Genes. 12. Ergo, &c. Contraria sententia, quam nos tenemus, probatur his rationibus. 1. Quia fidem esse servandam generaliter leges jubent, l. 1. in pr. de pactis, l. non minorem, C. de transactionibus, l. jurisgentium, §. prator ait de pactis. 2. Quod in specie etiam hosti sit fides servanda, probatur exinde, quod pacta jure gentium servari debeant, l. 1. de pactis, l. 1. de constit. pecun. Atqui certum est, quod cum hostibus sit jurisgentium communio & naturalis æquitas. Ergo, &c. 3. à contr. si hosti fidem dare fas est, nefas erit eandem violare. Atqui Antecedens probatur per l. 5. ff. de pact. E. & consequens. 4. Idem probatur de jure can. c. noli. 23. quæst. 1. ubi expressè dicitur, fidem, hosti promissam, servandam esse. 5. Ex jure divino probatur, exemplo Josuæ, Jos. 9. Et quod Deus graviter irascatur fædifragis probatur exemplo Regis Sedeciæ, Ezech. 17. v. 19. Pro quæstionis decisione disting. putamus. 1. inter dolum & perfidiam. 2. Inter fidem vi & metu datam, & pactum absq. vi & metu duorum principum voluntate factum. Quibus distinctionibus positis, non erit difficile ad objecta argumenta respondere.

QUÆST. IX. *Vtrum concessum sit uti stragematibus?*

Pro negativa sententia pugnant hæc argumenta. 1. Quod videatur aliquis fallere proximum & sic peccare contra octavum præceptum.

ceptum. 2. Quod cum hoste apertâ fronte agendum. *Tacit. 2. annal.* 3. Quia fides in stratagematibus non potest conservari: Ubi enim dolus est, ibi exulat fides, *Lipp. 5. Polit.* Verùm contrarium nos defendimus, his rationibus, 1. à fin. & utili. Consultitur enim sic generi humano. Plus sanguinis effunditur, ubi aperto Marte pugnatur, quàm si stratagematibus, fraude vel dolo hostis superatur. 2. Idem probatur *jur. can. cap. 2. caus. 23. q. 2.* 3. *per l. 26. ff. de capt. & postlim. l. 1. §. non fuit, de dolo malo.* Ex sacris idem probatur, *Ios. 8. v. 2. 2. Sam. 5. v. 23. &c.* Pro quæstionis decisione nihilominus distinguendum esse putamus inter stratagemata, quæ sunt contra datam fidem, & ea, quæ salva & integra dignitate parantur.

QUÆST. X. *Vtrum viri fortes nominandi qui injurias manus sibi intulerunt?*

Invenies non rarò, qui viri fortis esse putant, mortem sibi potius conciscere, quàm grave aliquod & acerbum malum pati. Et movetur imprimis multorum fortium viroꝝ exemplis tam ex sacris quàm ex profanis historiis desumptis. Illud enim extra dubium est, si præteritæ ætatis acta introspiciamus, plurimos viros fortes, qui semetipsos interfecerunt, deprehendimus. *Themistocles Atheniensis*, de patriâ optime meritus, cum odiis invidorum hominum ex patria sua depelleretur, & à Rege Persarum, Dux militiæ adversus Græciam constitueretur, sumpto veneno semetipsum potius interimere, quàm patriæ suæ bellum inferre voluit. *Plutarch. in Themist.* Sic *Cato* se interfecit ne in manus Julii Cæsaris incideret. Sic *Lucretia* violentiâ Tarquinii junioris stuprata, cultro in pectus defixo seipsam interfecit. *Liv. in fin. lib. 1.* De *Samsono* legimus *Jud. 16. v. 30.* De *Razia*. 2. *Macab. 14. v. 42. &c.* Hinc inveniuntur, qui αὐτοχρησίαν singulari laude dignam esse existimant. Ex *Catonis* enim vulneribus plus gloriæ, quàm sanguinis effluxisse, scribit *Valer. Max. lib. 2. cap. 3.* Hinc *Seneca* laudat *Catonem* & nominat illum virum fortem & constantem. *Donatistæ* dictum *Christi, Matth. 10. v. 39.* ad excusandas istas cædes detorquere non sunt veriti. Verùm rectissime *Arist.* istiusmodi hominibus fortitudinis laudem derogavit. *3. Eth. 7.* Nam 1. istiusmodi homines sunt pusillanimi, siquidem in formidando modum excedunt & in confidendo deficiunt. 2. Quia viri fortis, adversa & molesta constanti & æquo animo ferre: Atqui qui injurias manus sibi inferunt adversis rebus franguntur, fiunt desperabundi & ex impatientia planè succumbunt & sic in Deum & proximum peccant. 3. Non tantum

faciunt

faciunt contra jus naturæ Thom. 2. *secunda q. 64.* verum etiam jus scriptum tam divinum, quam humanum. *Contra jus divinum.* Habemus enim generale præceptum: *non occides.* Quo Deus non tantum alios, sed multo magis seipsum necare prohibuit. Charitas enim ordinata incipit à se ipsa. *Contra jus humanum.* Quia nemo est Dominus membrorum suorum, *l. liber homo, ff. ad l. Aquil.* Hinc graviter se ultro & voluntariè lædentes capite plectitur Imp. Adrian. *l. omne delictum, 6. §. qui se vulneravit. 7. ff. de re milit.* Unde factum, quod nemo se possit obligare ad pœnam corporalem, *l. liber homo, ff. ad l. Aquil. & l. circumcidere, 11. ff. ad l. Corn. de Sicar.* Et sic abusus rerum & bonorum nostrorum in jure prohibitus, *§. fin. Instit. de his, qui sui vel alien. jur.* quanto magis corporis abusus erit prohibitus. Hinc de *jur. Can.* honesta sepultura istiusmodi hominibus denegatur, *c. placuit, caus. 23. q. 5. & jure Sax. art. 31. lib. 2.* *Landrecht* sub tecto domus deiciuntur vel sub limine extrahuntur, & supra rastrum educti comburantur vel in campo suppliciiis destinato, vel in locis separatis & peculiaribus & quidem sepultura *Asini, obn Schall und Klang* sepeliuntur. Falsum ergo est quod quidam putent, id potius eorum virtuti, quam temeritati adscribendum. Nec Samson aliter excusari potest, quod semetipsum cum hostibus suis oppressit, nisi quod instinctu SS. qui miracula sua per ipsum edebat, fecerit. Neque obstat quod dicitur, volenti non fit injuria *l. cum donationis, C. de transact.* Id enim tantum verum est in iis rebus, quas quis potest velle: Atqui interficere semetipsum, nemo nec potest nec debet, Ergo, &c.

EXERCITATIO IIX.

DE TEMPERANTIA.

Resp. *Iohanne Reinbardo Hetgeni Schrovsinsburgensi.*

THESIS I.

UNa virtutis moralis specie, quæ circa corporis pericula versatur absoluta; alteram jam, quæ circa corporis sensus occupata, & *Temperantia* vulgò nominatur, disquisitioni subjicimus.

2. *Temperantia* vocabulum à temperando nomen habet, quod voluptates circa gustum & tactum refranet & fræno quasi coercet ac temperet, ne in expetendis voluptatibus homo modum excedat. Græcis dicitur *σωφροσύνη*. Cujus notationem Plato in *Cras*, sic reddidit: Quod sit *τῆς φρονήσεως σωτηρία*, hoc est
salus

salus prudentiæ, quod videlicet se datis commotionibus & voluptatibus, hæc virtus prudentiam tueatur & id unice præstet: *Ut sit mens sana in corpore sano.*

3. *Nomen Temperantiæ* non uno, sed pluribus sumitur modis. *Vno modo improprie* capitur, quatenus videlicet tribuitur animalibus irrationalibus & brutis, utpote apibus, &c. *Altero modo, quate generaliter sumitur*, pro omni omnium virtutum moderatione, atque sic omnis virtus dicitur Temperantia, & omnes, qui cuiunque affectui imperare didicerunt, temperantes dicuntur. 3. *specificè* sumitur pro illa virtutis moralis specie, quæ circa voluptates moderandas occupata, in qua significatione etiam hoc loco capitur.

4. *Definitur*: Quod sit virtus moralis, quæ circa voluptates & dolores cum mediocritate versatur, 3. *Eth. 10.* vel est virtus mediocritatem servans in appetendis & fugiendis voluptatibus corporis, quæ gustu & tactu percipiuntur. *Golius hoc loco.*

5. *Objectum temperantiæ* sunt voluptates & dolores. *Per voluptates* h. l. non intelligimus voluptatem ex virtutis actione resultantem. Hæc enim suâ naturâ est honesta, & nunquam ad inhonestam deflectit, ut virtutis moderatione opus sit. Neque intelligimus hoc loco naturâ voluptatem, quatenus de perfectione & integritate suâ gaudet, lætatur & exultat ipsa natura, quod videlicet sit mens sana in corpore sano. Sed intelligimus hoc loco animalem voluptatem sitam in ipso corpore, & quidem non omnem, sed tantum eam, quæ externe duobus sensibus corporis nostri, *gustu & tactu oris & pudendorum* percipitur.

6. *Extrema temperantiæ* duo sunt: in excessu dicitur *Intemperantia*: In defectu *stupor sensuum*.

7. *Intemperantia* est vitium, quo citra delectum nullâ habitatione honestatis omnis generis voluptates immoderate expetuntur. Complectitur sub se & *Luxuriam & Salacitatem*.

8. *Luxuria* est intemperantia circa victum, *Salacitas* est intemperantia circa Venerem.

9. *Stupor sensuum* est vitium in omnibus honestis & necessariis voluptatibus aspernandis.

10. *Species temperantiæ* sunt duæ: *Frugalitas & castitas*. *Frugalitas* est virtus in cibo & potu mediocritatem gulæ præscribens.

11. *Estque rursus duplex*: *Abstinencia & Sobrietas*. *Abstinencia* est virtus, quæ in cibo capiendo, gulæ nostræ præscribit modum & naturæ & rationi convenientem.

12. In cibo enim uti & in potu, non proportio arithmetica, sed geometrica est observanda. Homines enim plurimum variant. Alii enim sunt corpulenti & staturæ grandioris: alii graciles & mediocres, & alii exigui corpusculi. Hinc modus pro cuiusque vitium ratione est determinandus. Neque enim tanti cibi concedendum est Pygmæo quàm Polyphæmo. Hic enim pro victu multum alimentorum desiderat: illi verò parum ad mediocritatem sufficit.

13. Extrema Abstinentiæ sunt: *Voracitas* & *nimia abstinencia*. *Voracitas* est vitium in capiendo cibo mediocritatem excedens. Alias dicitur *ingurgitatio*, qua corpus obruitur & vires debilitantur. Item dicitur *ingluvies*, quod ingluviem præter decorum compleat. Hinc illi, qui hoc modo peccant, dicuntur *Ventres*, quod nimium ventri indulgeant & cibum in ventrem, tanquam in baratrum Mæcelli injiciant.

14. *Nimia* à cibo abstinencia dicitur *invidia*, qualis est illa Euclypsea hominum quorundam tenacitas, qui si vel unico teruncio vitam redimere possent, vix facerent. Peccant hoc modo plerumque avari, qui in colligendis thesauris & esuriunt & sitiunt.

15. *Sobrietas* virtus est, quæ in assumendo potu convenientem naturæ & rectæ rationi modum continet. Ubi modus non tantum pro ratione virium, sed etiam pro necessitate & lætitia uniuscujusque est determinandus.

16. Ad necessitatem duo pertinent. 1. Quantum videlicet ad sustentationem vitæ est necessarium. 2. Quantum ad liberalem sustentationem, quæ nostram naturam non tantum inesse, verum etiam in bene & melius esse conservat. Pro lætitia inquam & hilaritate determinari debet modus sobrietatis. Neque id repugnat voluntati divinæ, cujus iudicium est tale: Comede in lætitia panem tuum & bibe cum gaudio vinum tuum, hæc n. est pars tua in labore & vita tua. *Eccles. 9. v. 7.* Neque id repugnat honestati. Expedi enim cuique lætari, & quidem vitæ causa, quæ diuturnior est lætanti, quàm tristanti.

17. Extrema sobrietatis sunt: *Bibacitas* quam ebrietas conquitur & *nimia à potu abstinencia*.

18. *Bibacitas* est vitium, quo in bibendo modum excedimus. Cujus vitii exempla undique reperies plurima, ita ut ulteriore demonstratione non indigeat.

19. In defectu vitium non est usque adeo frequens in nostra Germania. Quamobrem ejus delineationem ulteriorem consilite hinc præmittimus.

20. *Castitas* est virtus, Veneris voluptatibus modum præscribens.

21. Extrema castitatis sunt: *Libido* & *Veneris licita detestatio*.

22. *Libido* est vitium in expetenda Venere, tendens ad nimium & illicitum. Complectitur sub se omnem fornicationem, scortationem, adulterium, incestum, bestialitatem, &c.

23. Nimia detestatio aliàs *stupiditas*, si quis à licita Venere nimium abstineat. Quo vitio Diogenem imbutum fuisse certum est. Is enim omnes mulieres ab arboribus suspensas esse voluit.

QUÆST. I. *Virum temperantia versetur circa omnes voluptates.*

Distinctum est antea *inter voluptates Animi & Corporis*. Ne ergo diutius, quam par est, in re tam clara & perspicua immoremur, de utraque voluptatis specie, quid sentiendum sit, breviter afferemus. Et voluptates animi quod attinet, cum propter eas nemo dicatur temperans vel intemperans, sed potius aliud nomen fortiatur: utpote, qui amat sapientiam, prudentiam, doctrinam, &c. nominatur virtutis amans; Et qui nimium pecuniam amat, avarus appellatur, qui nimium honores ambit, ambitiosus dicitur. Respondendum est, circa voluptates animi temperantiam nullo modo occupatam esse. Secundam vero speciem quod attinet. Distinguendum esse putamus inter illud, quod propriè & per se ad temperantiam pertinet & inter illud, quod impropriè & per accidens accedit. Qua distinctione præmissa, Resp. Temperantiam propriè & per se occupari circa gustum & tactum hominis: circa reliquos vero sensus tantum per accidens occupatam esse. Nam quamvis nimium delectetur aspectu formosæ puellæ, interim tamen neque temperans neque intemperans propriè dicitur. Et id facit homo non per se, sed quantum eo aspectu incitatur & inflammatur ad Venerem, reductivè tantum ad temperantiam pertinet. Sic quamvis aliquis delectetur suavi odore rerum, interim tamen, ut canes non delectantur odoratu leporis propter odoratum, sed propter leporem, sic nos delectamur odore cibi & potus, propter cibum & potum. Manet ideoque verum quod vulgo dicitur: Manibus & gulæ nostræ frænum temperantiæ injiciendum esse. Cæteris vero sensibus in tantum, in quantum ad intemperantiam exinde progredimur. Velo ergò castitatis oculi nostri tegendi sunt, nec nos, ex aspectu Helenæ, ducant ad libidinem: Cera aures nostræ suat obstruendæ, ne Sirenes cantuunculis suis nos ad se trahant. Nam sicuti oculus nos ducit ad libidinem & desiderium Helenæ:

ita

ita aures & olfactus portæ sunt, per quas ad intemperantiam recta proficiscimur viâ. Abstine ergò & labora! Nos ad sequentia progredimur.

QUÆST. II. *Vtrum circa voluptates gustus & tactus homo peccare possit?*

Cum hujus rei exempla quàm plurima nobis ante oculos totâ die & nocte versantur, non est, quod hac de re dubitemus. Videmus enim nihil in vita humana hodie esse communius, quàm comedere ad nauseam, bibere ad vomitum, inebriari ad stultitiam & insaniam, amare ad luxuriam. Invenies quosdam Epicuri de grege porcos, qui collum gruis exoptant, ut gula diutius esculentorum voluptate perfruatur, quemadmodum de *Philoxeno* testatur *Aristoteles*, 3. *Eth.* xi. Invenies, qui *Milonem Crotoniensem*, de quo testantur scriptores, quod solus bovem uno die absumserit, voracitate sua superare student. Sunt, qui non tam ad vivendum, quàm ad comedendum & bibendum omninò nati videntur, inde etiam Heroas se præbent, quòd egregiè potare didicerint. Sic inveniuntur, qui omnis generis lasciviæ & turpissimæ libidinis ludos & modos instituunt, uti fecit monstrum illud *Heliogabalus*, qui nudas puellas sibi prædenti & cœnanti ministrantes constituit, & tantam multitudinem pellicum aluit, ut earam nullam reiterârit *Iohann. Baptist. ignat. in vita Heliogab.* Quos omnes & singulos in cœno turpitudinis & hara Belialis relinquemus & virtute temperantiæ appetitus nostros præsertim gustum & tactum refrænare addiscebimus, ne in hac vel illa titillatione aut voluptate modum excedamus & bestiis similem vitam vivamus.

QUÆST. III. *Vtrum Temperantia magis versetur circa tactum, quàm circa gustum?*

Quamvis æqualis fermè sit commotio & difficultas, qua homo ratione gustus & tactus afficitur: interim tamen, quia non leviter nos movent argumenta pro tactu adducta, utpote. 1. Quod longè difficilius sit resistere voluptatibus tactus, quàm voluptatibus gustus. 2. Quod indies magis peccetur circa tactum, quàm circa gustum. 3. Quod gustus sit in exigua corporis parte, puta in lingua & palato. Postquam enim cibus & potus transit per palatum, nulla amplius delectatio percipitur. Tactus verò per totum diffunditur corpus & ab universi corporis partibus percipitur. Exinde concludendum & Respondendum esse putamus, temperantiam in gradu fortiori circa tactum & paulo remissiori circa gustum occupari.

QUÆST.

Utrumque valetudini maximè obesse, testatur quotidie ipsa experientia: interim tamen cum nihil hodie frequentius sit ebrietate ipsa quotidiana reiteratio, ebrietatem facit longè detestabiliorem voracitate. Testatur enim experientia, reiterationem ebrietatis non tantum ipsi corpori, verum etiam ipsi animæ plurimum obesse. Corpori obest; quia & ventriculi tenorem & habitum planè pervertit & constitutionem jecoris planè resolvit, & cerebrum vehementissimis affectibus afficit. Ventriculi inquam habitum pervertit hac ratione, quia concoctionem primam impedit; & sic vitium in prima concoctione relictum, (quod secundum Medicos est incorrigibile) ad secundam concoctionem, hoc est, crudam illam materiam ad epas transmittit, inde fit, ut crudus progeneretur sanguis, qui cum in tertia concoctione melior effici non possit, afficit totum corpus *καχεξία*, unde postmodum, nisi in tempore illi malæ dispositioni, aliquo remedio occurratur, oriuntur febres, scabies & alii morbi innumeri. Constitutionem jecoris resolvit hac ratione, quia pro dispositione potus & corporis qualificatione, totus homo vel incalescit vel frigescit. Si incalescit, tunc nervi constringuntur & coarctantur. Hinc bibuli, caput, manus & pedes ut plurimum, tremulâ habent. Si verò frigescit, nervi replentur vaporibus crudis, qui adhærentibus partibus convulsiones, paralytin, podagram, &c. efficiunt. Cerebrum etiam quàm plurimum afficit. Nam illud nimis ingurgitationibus maximè perturbatur, unde postmodum phrenetis, mania, epilepsia, apoplexia, &c. oriuntur. Animæ nostræ plurimum nocet ebrietas. Nam ex præcedentibus facile patet, quod inde homo sibi attrahat maximam debilitatem ob spiritus vehementem perturbationem. Hinc ebriis sæpè numero omnia videntur moveri & in gyros circumagi, quod alia ratione fieri non potest, quam quod Spiritus perturbati sedem quietam amplius non habeant, sed ipsi in cerebro agitati circumgyrentur & sic ratione sui secus quam res sunt, omnia repræsentent. Unde concludendum puto: Ebrietatem sæpius reiteratam deterioorem esse nimiam voracitate.

QUÆST. V. *Vtrum ebrietas devitari semper possit?*

Si convivium honestorum virorum, quæ ad animorum devianctionem, amicitia confirmationem non parum prosunt. Homini virtuoso concessa. Si homini Christiano liceat honestè frui gaudio: Si in-

Si inquam conversationes nusquam interdictæ, sed magis exemplo Salvatoris nostri comprobatae, utpote, *Matth. 9. v. 10. & c. 26. v. 7. Luc. 14. v. 1. Ioh. 2. v. 2. & c. 12. v. 2.* Et quod si à congregationibus non abstinuerint Patriarchæ Prophetæ in veteri testamento, Quinimò si verum, quod quotidie experimur, ut alter alterum ad bibendum cogat, & nullum vel fugæ vel deprecationis genus admittat. Item cum non raro ex ignorantia & vini efficacia incognita inebriemur: concludendum putamus, ebrietatem nonnunquam devitari non posse. Interim tamen, quantum fieri potest, dispiciendum est, ut 1. habeatur ratio facultatum 2. Ne poculum hilaritatis sit nimium frequens. 3. Ut congruo tempore bibat. Conversationibus ergo, quantum fieri potest cautè & Physicè intersit: parum antè & inter bibendum comedat; minus avidè primò bibat; non utatur multiplici potu: adhibeat ea, quæ utinam promovent. Quod si verò debitum naturæ modum excefferit, curam adhibeat, & imposterum, quantum fieri potest, à nimio usu potus abstineat, ebrietatis vitium fugiat & ad virtutem vitam suam redigat.

QUÆST. VI. *Vtrum ebrius flagitium committens minore pœna afficiendus quam si sobrius commisisset?*

Majori pœnâ ebrium esse afficiendum videtur probari posse his argumentis. 1. Quia propria turpitudine neminem excusat, *argumento l. 30. transactione finita, C. de transaction.* Atqui ebrietas est talis. Hinc dicitur fomes vitiorum & nutrix errorum, *c. ante omnia, dist. 35. c. sanè 15. q. 1. c. tum multuoso, dist. 35.* metropolis omnium malorum, *Basil. in Orat. de ebriet. voluntaria insania. Senec. 1.* 2. Quia ipsa ebrietas est maximâ pœna digna. *Pittic. apud Laërt. & Arist. 3. Eth. 5. & 2. polit. c. ult.* Quia ebrius offendit Deum, semetipsum & totam Rempubl *Cas. l. 2. Spher. polit* Hinc ebrietas capitalis erat apud Athenienses, *Laërt. in Solon. Cœl. Rod. l. 15 lect. antiq. c. 6.* & apud Muscovitas ebrii, licet sacerdotes fuerint, publicè castigabantur, *Sigism. Baro in comment. rer. Mosciv. 3.* Quia culpa hic præcedit casum, *l. quoniam, C. ad l. Iul. de vi publ. l. qui occidit. §. hac quoque, ff. ad l. Aquil. & l. si servus servum, §. si fornicarius, & §. si ex plaustro, ff. eod. c. unico, de comm. c. 2. de deposit.* omnis enim culpa ad casum est noxia, *Roland. cons. 81. n. 53. vol. 1.* 4. Quia ebrius plura mala agit, quàm sobrius, *Cas. in Spher. civit. lib. 2. c. 10. p. 107.* 5. Quia ebrius sic sentit commodum aliquod ex vitio ebrietatis. 6. Quia proximus afficeretur sic, injuria & ebrietatis pœnam sustinere deberet. Huc facit, quod publicè Imperii lege ebrietas

sit prohibita in comitiis Augustan. Anno 1500. 1530. & 1548. sub
 tit. de compotationibus, von zutrincen / Hinc Carol. V. in suis hære-
 ditariis provinciis constituit, ne ebrietas in cædibus excusationem
 adferat, Wesenbec. in parat. ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 24. Hinc in or-
 dinatione Curie Wirtenberg. part. 3. t. 25. hæc verba leguntur:
**Es soll in Schmach vnd schläghendelen die Trunckenheit zu
 keiner Entschuldigung verdieneter Straff fürgewand vnd an-
 genommen / besondern gedoppelt vnd dergestalt gestrafft wer-
 den / daß menniglichen verstehen möge / daß die Trunckenheit
 nicht die wenigste vrsach der erlanten Straff gewesen / Harpr.**
 §. non solum, l. de injur. n. 15. & seq. In contrarium verò adduci pos-
 sunt hæc argumenta. 1. Quia ebrius comparatur infanti, mente ca-
 pto & furioso & mortuo, text. est in c. venter. 35. dist. 35. 2. Quia
 peccata ex voluntate & delinquentis proposito æstimantur, text. est
 in c. 1. 15. q. 1. Atqui ebriosus patitur mentis exilium, argum. l. sed
 et ff. de injur. & est dormienti similis, vitamque edormire dicitur,
 c. à crapula, de vit. & honest. Cler. ex proposito non delinquit, sed
 impetu, l. perspicendum, 11. §. delinquitur, 3. ff. de pœn. l. omne deli-
 ctum, §. per vinum, ff. de re milit. Ubi ergo nulla ratio, nullum
 vitæ gerendæ consilium, nullus consensus, ibi neque obligatio, &
 per consequens non tenetur neque ex contractu neque ex delicto,
 l. 1. de pact. 3. Quia constitutum est, ne puniatur, qui de Imperatore
 temulentus malè loquitur, l. unic. C. si quis Imp. maledix. Interim
 tamen cum diversæ sint hac de re Dd. opiniones & sententiæ, di-
 stinguendum putamus. 1. Inter verbales & leviores injurias, &
 inter reales & atrociores. Arum. Exerc. 12. thes. 8. 2. Inter ebrietatem,
 trunckenheit & ebriositatem vertrunckenheit oder gewohnet voll
 zuseyn / Gail. 2. obs. 110. n. 27. 3. Inter veram ebrietatem & affecta-
 tam. Harprecht. d. l. Quibus distinctionibus præsuppositis, hæc erit
 nostra sententia. Ebrium in summo ebrietatis gradu constitutum,
 cum & furioso sit similis & mortuo comparatur & sic non ex pro-
 posito, sed magis ex impetu quodam peccat in levioribus delictis,
 modo cum post crapulam edormitam pœnitent facti, nec perseve-
 rantia accessit, veniam mereri. Arum. Exerc. 12. th. 8. Absentem e-
 nim lædit, qui cum ebrio litigat, ut Mimus rectè dixit. In gravio-
 ribus verò delictis, cum culpa præcessit casum, benignius & mitius,
 hoc est, arbitrio judicis puniendum esse statuimus. Id quod Dd.
 communiter statuunt, Myusing. respons. 60. n. ult. Tiraq. tr. de pœn.
 temperand. caus. 6. Gomez. tom. 3. variar. resolut. c. 1. n. 73. Clar. lib. 5.
 sent. §. fin. q. 60. n. 12. Wesenb. in parat. ff. de injur. Hakel. disp. 23. th. 14.

Ebrio-

Ebriosum autem quod attinet, cum videlicet, qui ex vitioso habitu & consuetudine quadam sciens prudens vel inebriatur, si consueverit esse rixosus & excitare turbas, neque ignoret, se tali vitio laborare, quia tunc ebrietas censetur destinata ad casum, ordinariè plectendum esse Dd. communiter tradiderunt, *per notata Gailii, l. 2. obs. 110. & Harprecht. d. l. Prosperi Farinacii, l. 3. prax. crim. tit. 10.* Et sic argumenta in contrariam sententiam adducta nihil obstant. Ad legem generalem Imperii, uti ad provinciales constitutiones Resp. de levi tantum & affectata non verò de enormi ebrietate, quæ mentis exilium inducit, esse accipiendas. Siquidem omnis constitutio secundum æquitatis normam interpretanda, *l. in omnibus, 90. ub. Decius & Cagnol ff. de R. I. & l. placuit, ff. de judic.* Et nisi verba expressa refragentur secundum juris communis dispositionem exaudienda & explicanda, *l. 2. C. de nox. act. l. 11. §. 1. de muner. & honor.*

QUÆST. VII. *Utrum ebrietas majus vitium, quam libido?*

Quamvis utrumque vitium æquales ferè commotiores habeat: interim tamen, quia multo facilius quis resistere potest ebrietati, quam libidini, non immerito affectum Veneris longè esse vehementiorem & plus habere virium, quam gulæ affectum, dicimus. Est enim affectus amoris non tantum omnium vehementissimus, verum etiam impetuosissimus & talis omnino, qui rationem ligat, mentem excoecat, & (uti testatur experientia) ex prudentissimis stultos facit. Exemplo nobis esse potest Hercules, qui quamvis fuerit fortissimus & ingentia monstra domare potuerit: attamen adeò inservit Omphalæ amasiæ suæ, ut armis abjectis cum ea colum tractarit. Sic Lucius Vitellius adeò delectatus est amore suæ scorti, ut ejus salivâ usus sit pro ballamo. Sic Galeacius Dux Mantuæ, jussu suæ amasiæ se cum equo in profundum fluvium coniecit. Hic Deus dicitur aut truncus qui non juveniliter ardet. Hinc fit, quod adolescentuli vix à maternis mammis emissi de jaculis & faculis veneris sermones lepidos proferre possint. In tantum, ut hoc tempore malitia non tam supplere, quam superare ætatem omnino videatur.

QUÆST. VIII. *Utrum impetuosissimus ille affectus Veneris aliquo remedio frænari possit?*

Quamvis hic affectus à natura hominibus insitus & propter cōservationem speciei homini attributus, ita ut ipsam naturam excutere videatur, qui hanc appetitum frænare cupiat: Interim tamen, quia non semper est propter speciei cōservationem, sed turpis

libidinis explendæ gratia, non ipsam naturam sed vitium naturæ corrigendum duxerunt Ethici, dum ut Medici remedia inquirunt, quibus à vi & impetu furibundi amoris, quispiam liberari possit. Sunt autem remedia contra illicitam Venerem ab Ethicis 4. excogitata. Primum posuerunt *in fuga otii*. Est enim primus gradus ad Venerem versari in turpi otio. Otium ergo quicumque fugit, non tam facile libidinum igniculis inflammat. Hinc non immerito scriptum à Poëta: *Otia si tollas periere cupidinis arcus, contemptæque jacent & sine luce faces*. Hinc Venus apud *Lucianum* graviter conqueritur de Cupidine, quod reliquos Deos omnes jaculis suis læserit, Minervam verò & Dianam nondum tetigerit: cui Cupido respondet his verbis: *O Mater, Minerva suis negotiis & gravitate me percellit: Diana verò semper feras insequitur, & sua velocitate me superat*. Secundum posuerunt *in occasionis evitacione*. Est enim secundus gradus ad Venerem occasio. Occasio est, quæ furem facit, & homines ad delicta trahit. Et si *socii Ulyssis* non divertissent ad *Cyrcem*, in porcos non fuissent conversi. Sic si *Diana* non fuisset expatiata, virginitatis flore non esset spoliata. Tertium posuerunt *in moderacione victus*. Nam in luxu & mollitie vitium hoc facile invenit locum. Edere ergo debemus cum jucunditate ad sanitatem, bibere absque impletione ad satietatem & agere in omnibus nostris actionibus secundum rectam rationem. Quartum & ultimum posuerunt merito *in assidua precatione ad Deum*. Absque enim Dei auxilio, nihil est in homine, nihil est innocuum, &c.

QUÆST. IX. *Utrum Temperantia prolongari possit
vita humana?*

Stoicum quorundam hominum de vitæ humanæ termino paradoxon est, quod cum *Plat.* in *Timæo* statuunt: vitam humanam nullo modo posse prolongari: Et moventur imprimis scripturæ testimonius, quibus cuilibet certum terminum esse constitutum legitur, utpote *Iob. 14.* Tu homini constituisti terminum, quem præterire non licet, &c. Verum erronea est hæc illorum opinio. Constat enim vitam nostram consistere in calido & humido radicali. Quicumque ergo temperaturam hanc calidi & humidi intemperantia perturbat, de vitæ filo aliquid abscindit. Hoc ergo est de quo sacra pagina docet *Eccl. 37. v. ult.* Quod propter crapulam plurimi obierint, nec ad medietatem vitæ suæ pervenerint. Et contra, qui utitur iis rebus, quæ ad illud calidum & humidum conservandum faciunt, is telam vitæ suæ prolongabit. Principiis ergo
vitæ

vitæ materialibus & formalibus restauratis & retardatis; sequitur ipsam etiam & vitam prolongari posse. Alias vana esset etiam omnis medicina, cujus finis est, hominem ab immatura morte liberare. Vanæ etiam essent omnes Dei promissiones de vita longæva, quam parentum cultoribus præmii loco pollicitus est. Hinc non immeritò temperantia à *Bened. Pererio tom. 1. disp. in Gen. l. 7. ad c. 5. q. 3. num. 107. & seq.* (referente *Dn. Crugero in horto virtutum, quest. 5.*) inter rationes vitæ longævæ numeratur. Faceat ergo hoc Calvinianorum paradoxon. Non enim vitæ terminis tam fatalis est, ut non prolongari, aut etiam abbreviari possit. Distinguiamus enim inter Dei præscientiam & Dei præordinationem. Et ad text. oppositum *Job. 14.* respondemus, certum terminum homini constitutum esse, respectu præscientiæ divinæ, qua Deo omniscio omnia sunt certa & infallibilia, quandoque & quocumque etiam modo homo ceciderit, & si aliter evenisset, quam factum, illud quoque Deus scivisset. Non ergò hoc loco præscientia Dei αὐτῶς intelligenda, sed cum determinatione ad præordinationem & providentiam nostram, hoc enim modo & abbreviari & prolongari vitam nostram posse certum est. Reponimus ergò illis præordinationem ex variis causis naturalibus & exemplum Pauli & eorum, qui cum ipso navigabant, *Act. 27. v. 31.* & exemplum Regis *Hiskia. 2 Reg. 20.* & c. *Galen. lib. 6. de sanitate tuend. Laurent. in anatom. c. 3. q. 4. Dn. D. Horstius lib. 2. Exercit. 4. quest. ult. Cruger. in hort. virtut. q. 50.*

QUÆST. X. *Utrum pro alterius salute bibendum?*

Usitatissimum est omni nationi plus bibere, quam sitire. Neque est quod putes novum. Veteres enim ad conciliandam amicitiam & lætitiæ excitandam, non ex poculis sed ex magnis cornibus potare sunt soliti, ut refert Pompon. Læt. in Vit. Valent. Sic Argivi, Corinthii, Thraces, &c. hospites suos ingentibus poculis exceperunt, & non tantum ad nauseam & ructus, verum ad vomitum usque potare consueverunt. Vellem equidem hunc morem bibendi, in quantum ad intemperiam & perniciem nostram vergit, una cum Thracis & Corinthiis superioribus seculis defluxum esse, nec ad nostra tempora pervenisse. Nam ex nostra intemperie alterius salus non nascitur, nisi fortassis in quantum nimium potando filum vitæ nostræ abscindimus, ut citius nostras facultates alius consequatur. Interim tamen, quia jam eo ventum est, ut & virtutis, comitatis, urbanitatis, amicitiae, favoris & gratiæ signum sit, contra

verò rusticitatis, inhumilitatis, morositatis vel singularis præemi-
nentia, superioritatis, despectus, inimicitia, vituperii, indicium
& signum reputetur, sese ad morem hominum, quibus cum degit
& conversatur, non accomodare morem illum, quo in alterius sa-
lutem bibitur, in quantum dulcissimum illud salutis nomen non
vergit in pernitiem & intemperiem nostram, non esse reprehen-
dendum, & sic pro alterius salute bibendum esse, puto.

QUÆST. XI. *Vtrum casti dicendi, qui nullam
attingunt mulierem?*

Invenies multos, qui foeminas externa quasdam sanctitate mo-
ei, fugiunt, quorum interiora si introspicias, stabulum venerearum
eupiditatum reperies. In quorum numero est rasa cohors & quasi
sancti patres in papatu. Quos propterea à templo temperantia &
castitatis excludendos puimus. 1. Quia ut plurimum externa tan-
tum sanctitate moventur. 2. Quia non habent constans ac perpe-
tuum propositum castè vivendi, prout experientia in istis locis, ubi
degunt, testatur. Vivunt enim in fornicatione & bestialitat. 3. Quia
non spontaneo motu, sed coactè abstinent à foeminarum amplexi-
bus, & quod coactè facere non debent, dies noctesque meditan-
tur: Atqui virum bonum non modo non facere, sed ne cogitare
quidem mala decet. *Cic. 3. off.* Cum ergo ipsa voluntas cogitatio &
de gaispe externis gestibus non respondeant, vulpinum & fallax
erit eorum ingenium, quod ne videatur, externis gestibus tegunt.
Interim tamen distinguendum esse puto, *inter virginitatem & ca-*
stitem. Virginitas nihil est aliud, quam abstinentia foeminae nun-
quam conjugatae à contractu virili & contra. Castitas vero est
temperantia Veneris appetitum & usum temperans. Illa est bonum
naturale: Hæc vero est virtus moralis & habitus præelectivus.
Quâ distinctione præsuppositâ dicimus, illos, qui revera abstinent,
à foeminis in statu virginitatis esse, non verò in statu castitatis. Vir-
ginitas enim potest etiam competere non castis.

EXERCITATIO IX.

DE LIBERALITATE ET MAGNIFICENTIA.

Resp. Philippo Eberhardo Kesseler à Sarenbsheim.

THESIS I.

Quamvis virtutes morales omnes sint habitus rationis & va-
luntatem pro subjecto habeant. Interim tamen ratione officii

non tantum in gubernatione *animi*, verum etiam in gubernatione *corporis* cernuntur, hoc est, quaedam virtutes morales sunt primario occupatae in gubernatione corporis & secundo in gubernatione animi: & rursus, quaedam sunt, quae primario in gubernatione animi & secundo in gubernatione corporis cernuntur.

2. Quia vero praecedenti exercitatione duas illas virtutes morales *circa corpus* primario ejusque pericula occupatas expedivimus: merito jam ad eas, quae *animum* primario respiciunt, transitum instituimus. Et quia haec, quae animum primario moderantur sunt in duplici differentia, *vel in rebus externis vel internis*, consequens est, ut prius agamus de illis, quae animum *circa res externas moderantur*.

3. Externas res appellamus hic *munera fortuna*. Et dicuntur res externae, quia homini extrinsecus obveniunt, ut sunt: *divitia seu sumptus & honor*.

4. Quia vero *divitia seu sumptus* sunt *duplicis generis*: Circa *modicos* enim versatur *liberalitas*, Circa *magnos* occupata est *magnificentia*. Quare antequam de honoribus verba faciamus, prius has duas circa sumptus occupatas, hac exercitatione expediemus.

5. Liberalitatis institutio seu doctrina merito magni est facienda. Siquidem occupata est circa opes & divitias, quae sunt in Reipub. rerum gerendarum nervi. Ut enim nervus cum vel nimium intenditur, aut frangitur aut ad minimum valde debilitatur, vel dum plus aequo remittitur, plane inutilis redditur: sic dum opes & divitias nostras vel prodigimus, facile omnis usus expirat, vel quando easdem nimium constringimus, nulli possunt esse usui & commodo. Quare cum vix ullius rei tantus sit abusus atque est divitiarum, facultatum & opum, hac exercitatione addiscendum est, quomodo opibus nostris moderate & ad commodum & emolumentum Reipub. uti debeamus.

6. Dicta autem est *liberalitas à libero*, propterea, quod libero homini quam maxime fit digna.

7. Vocabulum liberalitatis sumitur *tripliciter*. 1. *Generalissime* pro illa pecuniae erogatione, quae à quibusvis circumstantiarum respectu largius instituitur. 2. *Generaliter*, & sic beneficentiam, benignitatem, officiositatem & gratificandi studium complectitur.

3. *Specialiter*, pro pecuniarum erogatione, tali videlicet, in qua certus circumstantiarum ordo attenditur. In quo significato & hic à nobis intelligitur.

8. Definitur: Quod sit virtus moralis mediocritatem in modi-

cis sumptibus erogandis observans: *velut Arist.* Est virtus quæ mediocritatem servat circa pecuniam, 4. *Eth.* 1.

9. *Objectum* liberalitatis duplex est: *Internum* & *externum*. *Internum* est ipsa nummorum & pecuniæ cupiditas, quam liberalitas moderari debet.

10. *Externum* iterum est duplex: *Verum* & *ἀναλογον*. *Verum* consistit in iis rebus, quæ accipi & erogari possunt. *Estq; rursum duplex. Præmarium vel secundarium.* *Præmarium* est pecunia numerata, quia circa eam liberalitas sese maximè exserit.

11. *Secundarium* sunt omnes possessiones & opus, utpote domus, agri, vinea, prata, prædia, & reliquæ, quæ pecunia æstimantur, & quarum est aliquis in vita usus.

12. *Analogum* sunt bona animi & corporis. Animi, ut sunt: Sapientia, prudentia, sagacitas, ingenium, &c. Corporis, ut sunt: bona valetudo, vires integræ, membra sana, iusta corporis statura, pulchritudo, &c. Dicuntur autem *objectum analogon* liberalitatis, quia elargiri vel prodigere aut avaritia sepelire ea non possumus, quamvis analogicè & suo modo id fieri posse non inficiamur, dum videlicet quis sapientiam, prudentiam vel artes, &c. quibus Reipubl. inservire posset, abscondit, sepelit nec præter se vult quemque alterum scire uti similiter profundit suam sapientiam & artes, qui non tempore congruo, illas pandit & in medium profert.

13. *Officium* liberalitatis consistit, *tum in dando, tum in accipiendo*. Ne verò in dando quis peccet, quinque potissimum circumstantias observare tenetur.

14. *Prima* in dando *circumstantia* est de *persona dantis*, quæ dupliciter consideratur. Quatenus videlicet est *persona habilis* ad dandum vel *non est habilis*. *Non habilis* ad dandum est puer, impubes & minorennis. Puer propterea, quod in puerilem ætatem nulla propriè cadat virtus & quod minimè cognitum & exploratum habere possit, quomodo dare debeat. Pueris annumerantur porro furiosi, mente capti, prodigi, &c. Impubes & minorennis propterea dare non potest, quod vel adhuc in sacris parentum constitutus & sic nihil proprium habet, vel tutorum & curatorum potestate regitur, & sic liberam administrationem suorum bonorum nondum est consecutus.

15. In *persona habili* duo consideranda veniunt. 1. *Animus imprimis* respicitur, uti videlicet non gravatè beneficium conferat, sed libenter & vultu sereno, cum quadam lætitiâ & voluptate. *Hilarem*

larem enim datorem amat Dominus, *syrr. 35.* Non ergo liberales habendi sunt, qui inviti & coactè dare tenentur.

16. Porro consideranda est in persona habili *dignitas* & honestas tam dantis, quam accipientis. Dantis ut talia det, quæ cum persona sua conveniunt Accipientis. Non enim promiscuè dandum est, sed ratione honestatis & dignitatis accipientis. Quicunque ergò in meretricem & eos qui suas facultates compotationibus, commestationibus, aleâ, pila, &c. Insumpserunt, confert suam pecuniam, liberalis non est dicendus. Uti neque ille nomen liberalis meretur, qui respectu suæ honestatis & dignitatis sibi suisque non prospicit & nimium sordidè vivit.

17. *Secunda* circumstantia in quantitate consistit. Ubi rursus duo perpendenda. Est *facultas* dantis, ut videlicet det tantum quantum facultates permittunt. Liberalitas enim non ex marsupio & arca, sed ex animo judicanda est. Ita ergò dandum est, ne aliis sit relaxatio, nobis afflictio. Charitas enim ordinata incipit à seipsa. Non tenemur proximum magis diligere, quam nosmetipsos.

18. Alterum quod circa quantitatem perpendendum, est accipientis *egeſtas*. Ei enim qui magis eget & qui nobis vel sanguine vel affinitate conjunctus, plus est dandum, quam ei, qui minus eget vel nobis nulla ratione conjunctus.

19. *Tertia* circumstantia consistit in qualitate rei. Talia enim danda sunt, quæ accipienti prodesse & nullo modo nocere possunt: Beneficium ergo nostrum & utilitatem & commoditatem conjunctam habere debet.

20. *Quarta* circumstantia consistit in tempore, quo beneficium est conferendum. Est enim liberalitas exercenda tunc, quando necessitas exigit. Non ergò sunt beneficia procrastinanda, sed tempestivè conferenda, juxta illud.

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia, namque

Cum fieri properat gratia, grata magis

21. *Quinta* circumstantia est locus. Dandum enim est; ubi honestum. Et quæ faciunt ad alterius honorem amplificandam, illa publicè & palam conferenda sunt. Contra, quæ faciunt ad alterius egeſtatem sublevandam privatim & clam eroganda sunt. Et tantum de circumstantiis, quæ in dando observare tenemur.

22. Accipiens in id unice debet incumbere, ut honestis rationibus suas facultates augeat. Contra quod præceptum non rarò tam in defectu, quam in excessu peccant plurimi.

23. Interdum accipit is, qui non debet, in quorum numero est iudex, cui turpe omnino est quicquam muneris accipere ab eo, qui coram se iudicio contendit. Secundo graviter sic peccant, qui propter turpe lucrum indignum ad prelaturam vel officium publicum promovent. Quantum enim damnum tales Reipub. inferant, dici satis non potest. Tertio, qui indebita extorquent ab hominibus, idque faciunt vel vi vel fraude, vel vi & fraude simul, &c. In defectu porro hoc loco peccant, qui munera honeste & sponte oblata respuunt. Qui stipendia licita recusant. Qui hostibus devictis spolia detrahere ambigunt, &c.

24. *Extrema* liberalitatis sunt duæ. Unum in excessu & dicitur *prodigalitas*: alterum in defectu & dicitur *Avaritia*.

25. *Prodigalitas* à prodigendo dicta, est vitium mediocritatem nimium dando & parum accipiendo, excedens. Hinc prodigus ille dicitur, qui non habet rationem circumstantiarum superius enumeratarum, sed omnia sine observatione loci, personæ, temporis, & qualitatis & quantitatis profundit.

26. Fit quia prodigi plerumque quando illis amplius nihil restat, ad furtum & rapinam devenire solent ideoque hic aliqui faciunt prodigalitem duplicem, simplicem & mixtam. Simplex eorum est, qui res suas temerè profundunt. Mixta eorum, qui ab aliis per vim & injuriam extorquent vel auferunt aliquod, ut habeant, quod aliis immoderate tribuant.

27. *Avaritia* à nimio affectu avendi dicta, est vitium in dando, retinendo & accipiendo à mediocritate nimium deficiens. Tria ergo genera Avarorum constituuntur. Primum eorum est, qui dando solum deficiunt, hoc est, qui non dant, quibus & quando debent: Interim tamen injuste non accipiunt. Secundum eorum est, qui injuste accipiunt, quales sunt, qui per fas & nefas opes cumulant.

28. Tertium eorum est, qui utroque modo peccant. Et tantum de liberalitate, sequitur jam de Magnificentia.

29. Quia liberalitatis notitia non parum facit ad Magnificentiam, copiosius de ea dicere volumus de Magnificentia erimus tanto breviores. Dicitur autem *Magnificentia* à magnis sumptibus faciendis, à magnitudine & decoro, quod videlicet Magnificus in magnis sumptibus decorum observare teneatur. Est autem vocabulum magnificentiae duplex. Uno modo sumitur metaphorice, qua ratione Magnificus est. i. Qui magnifice incedit vel pompose loquitur & artificiose nimis res suas exequitur, vel qui in magno
[aliquo

aliquo honoris gradu collocatus. Altero modo pro illo virtutis habitu, qui decorum servat in magnis sumptibus faciendis. In quo significato hoc loco accipitur.

30. *Definitur*: Quod sit virtus in magnis sumptibus mediū servans.

31. *Objectum Magnificentiae* externum sunt sumptus magni, in quibus faciendis certa quaedam requisita sunt notanda. Primum. Quod unusquisque ante omnia perpendere debeat, de eāne suum ordinem & statum istiusmodi sumptus magnos facere. Magnificentiam enim qui vult exercere, non debet esse pauper vel plebeus; sed sit dives & in aliquo dignitatis & honoris gradu constitutus: aliās si quis humili sorte, quamvis dives vellet arcēs & munitiones extruere, & talia facere, quæ vel nobili vel principi essent faciendā, magnificus non esset, sed profusor rerum suarum. Secundum consistit in quantitate, quæ definitur & determinatur cujusvis opibus. Nam & magnorum sumptuum alii aliis sunt majores, alii minores, prout ergo divitiæ uniuscujusque ferunt, expensæ sunt faciendæ. Tertium requisitum est, ne aliunde, quam legitimo modo divitias sibi acquisiverit. Qui ergo impendit ea, quæ sibi furto, rapina, fraude acquisivit, magnificus dicendus non est. Quartum, ut sumptus fiant, non ostentationis, sed solius honestatis gratiā, in Dei honorem, Ecclesiæ emolumentum, Reipubl. splendorem & proximi fructum & commodum. Qui ergo in res futiles & inutiles magnos sumptus faciunt, magnifici dicendi non sunt.

32. Discrimen Magnificentiae & liberalitatis patet ex his. 1. Magnificentia versatur circa sumptus magnos: liberalitas autem circa modicos est occupata. 2. Liberalitas generalior est magnificentiā. Siquidem omnis magnificus est liberalis, sed non contra. 3. Magnificentia in magnis sumptibus faciendis tantum est occupata: liberalitas, non tantum in erogandis, verum etiam in recipiendis pecuniis versatur. 4. Differunt etiam tractandi modo & adjunctis, de quibus jam dictum.

33. Extrema magnificentiae sunt duo. Unum in excessu, & dicitur inutilis & inepta magnorum sumptuum in res futiles & inutiles profusio. Alterum in defectu, & dicitur indecora & intempestiva in magnis sumptibus faciendis parsimonia.

QUAEST.

QUÆST. I. *Vtrum τὰ χεῖματα sint verum & adæquatum Liberalitatis objectum?*

Τὰ χεῖματα non esse verum & adæquatum liberalitatis objectum, contendunt quidem hac ratione. Quia τὰ χεῖματα non comprehendunt omnia, per quæ aliquis liberalis appellatur, utpote sunt: animi & corporis bona. Nam qui nudis vellem, qui ægrotantibus medicinam, qui famelicis cibum, qui desertis & consilio destitutis consilia salutaria dant & omnia humanitatis officia præbent, æquè liberales sunt dicendi, quàm qui pecuniam erogant, & expendunt, *Gas. l. 4. Eth. q. cap. 1.* Verum τὰ χεῖματα esse verum & adæquatum liberalitatis objectum, affirmamus his rationibus. 1. Quia media & extrema in virtutibus moralibus versantur circa idem objectum: Atqui Prodigalitas & Avaritia, quæ sunt extrema liberalitatis, versantur circa τὰ χεῖματα. Ergo, &c. 2. Quia liberalitas virtus est, quæ nos informat, ut rectè utamur pecuniis. Hinc liberalis propriè dicitur, qui circa opum largitionem & acquisitionem debitum observat modum. Interim tamen pro decisione quæstionis notandum, τὰ χεῖματα hoc loco non tantum esse accipienda pro pecunia numerata, sed pro omni rerum omnium suppellectile & abundantia, ita enim Philosophus 4. *Eth. 1.* ait: χεῖματα ἢ λέγομεν πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομισματὶ μετρεῖται. Qualia sunt: agri, metalla, pecora, domus, suppellex, liberi, &c. Hinc omnes res tam solidas, quàm mobiles, tam corporales, quàm incorporales contineri vocabulo pecuniæ dicimus, *l. 222. ff. de V. S.* Repetimus porrò hic distinctionem in thesibus datam, ubi distinximus inter objectum verum & ἀνέλογον.

QUÆST. II. *Vtrum Liberalitas etiam consistat in accipiendo?*

Negat id ipsum, *Timplexus lib. 3. Eth. c. 19. q. 2. & 20.* Ubi inter alia sic dicit: non posse excogitari absurdius, quàm liberalem dici eum, qui beneficium ab aliquo accipit. Et cum beneficiarii tantum sit accipere & liberalis dare, nullo modo & ratione posse liberalem appellari tum, qui accipit, sed tantum qui expendit. Verum in accipiendo etiam liberalitatem occupari non tantum Aristot. in libris suis moralibus passim inculcat; verum etiam *Cic. 1. off.* duo liberalitatis genera constituit, quorum unum in dando & alterum in accipiendo occupatum est. Quos omnes fermè Ethici sunt secuti, moti his rationibus. 1. Quia æquo potest peccare liberalis circa

circa accipere quàm circa dare. Nam uti quispiam nimium & minimum dando contra liberalitatem peccat; ita etiam nimium accipiendo, avarus, & minimum accipiendo prodigalis est. 2. Quia dare & accipere sunt relata, quorum unum absque alio esse & intelligi nequit. 3. Quia in utroque est mediocritas circa idem objectum. Concludendum ergo putamus, liberalitatem in accipiendo rectè exerceri, in quantum videlicet discretionem liberalis adhibet, unde aliquid sit sumendum & unde non, & quatenus non *αἰτιλικὸν* nec *ληπτικὸν*, sed *μετρετικὸν* se præbet. Ad oppositum à Timptero argumentum contrarium respondendum est: beneficiarium duplici ratione considerari posse, non tantum respectu benefactoris sui; verum etiam respectu virtutis & mediocritatis, quatenus videlicet discretionem in accipiendo adhibet & se *μετρετικὸν* præbet, considerandum esse. Et hac ratione, quod is, qui accipit, non dicatur liberalis, id magis est ex consuetudine vulgi, quàm ex arte.

QUÆST. III. *Vtrum liberalitas magis in dando, quàm in accipiendo occupata?*

Evictum est præcedenti quæstione liberalitatis officia in dando & accipiendo occupari, non ergò incommodè hoc loco quæritur, utrum illorum magis ad naturam liberalitatis accedat. Ad quam quæstionem respondendum esse putamus, aliud esse, si dare & accipere simpliciter & per se considerentur, & aliud si invicem hæc duo comparentur. Utique hac consideratione dare magis accedit ad naturam liberalis, quàm accipere. Notum enim est. 1. illud Salvatoris *Act. 20. v. 35.* beatius esse dare, quàm accipere. Præterea constat, omnem virtutem magis consistere in agendo, quàm in patiendo. Unde laus ex templo parata danti, non verò accipienti. Et hinc fit, quod communiter raro quispiam liberalis dicatur, qui accipit, quamvis acceptio liberalis fuerit. Quinimò non tantum beatius & gloriosius est dare quàm accipere: verum etiam difficilius: Atqui virtus potissimum in difficili est posita. Principalissimè ergò & *πρωτῶς* liberalitatem in dando, & remissiori verò gradu in accipiendo occupati putamus, *Arist. 4. Eth. 1. c. 8. Eth. 13. 2. Eth. 3. Cic. 3. de finib.*

QUÆST. IV. *Vtrum omnis datio sit liberalis?*

Invenies non raro homines, qui dum propria virtute emergere non possunt, suffragia & vota sibi emunt, uti de Tiberio Graccho proditum, qui in magna annonæ charitate, frumentum populo gratis

gratis distribuit, ut totius civitatis suffragia vota sibi acquireret *Magis. 4. Eth. 1.* Item frequenter invenies, qui nihil expendunt, nisi sciant se longè majori beneficio remuneratū iri, vel id faciunt propter ingentes usuras, vel planè in viti & coacti faciunt, si aliquid erogant. Quos omnes & singulos longissimè à virtute liberalitatis distare dicimus. Nam quod illos attinet, qui sibi officia, honores & dignitates emunt, latissimè à liberalitatis tramite exorbitant & gravissimè peccant. Nam primò τὸ καλὸν non respiciunt, sed propriam utilitatem, qua cum dedecore sæpè utuntur, respiciunt. Deinde quia non solum cum aliorum ruina se promoveri cupiunt, verum etiam, (uti experientia testatur) cum detrimento & ruina Reipub. se ædificari student. Deinde neque hi liberales dicendi, qui propter ingentes usuras vel majus lucrum aliquid expendunt. Siquidem non tam honestatem quàm privatam utilitatem respiciunt. Atque liberalitas virtus est, quæ proficiscitur ex mera, & honesta benefaciendi voluntate. Denique liberalitas inter aliarum virtutum ἀγαθήν firmam in dando alacritatem requirit, siquidem est actio spontanea honestum respiciens. Quamobrem non omnem datorem liberalem dicimus appellandum, sed duntaxat, eum, qui finem τῆς θεόσεως, (qui est τὸ καλὸν) & alia requisita, de quibus in thesibus dictum, respicit.

QUÆST. V. *Verum liberalitas cadat in
pauperes?*

Qui potius ad vulgi, quàm ad sapientum judicium attendunt & magis ad objectum, quàm ad habitum interiorem respiciunt, procul dubio quæstionis negativam tueantur ob id, quod pauper sit destitutus nervis rerum gerendarum, circa quas liberalitatem occupatam esse dicimus: Verum affirmativa quæstionis est verior. Nam liberalitas non est æstimanda ex quantitate dati, sed hoc ex benevolo & prompto animo dantis, unde videlicet pendet, est æstimandum. Unde sæpè fit, ut beneficium, quod secundum rei quantitatem majus est. Hinc etiam fit, ut interdum is, qui pauca elargitur, liberalior sit eo, qui multa elargitus est. Testis est illa vidua pauperula, licet unum teruncium in gazophilacium conjecerit: attamen liberalior fuit & plus dedit, quàm omnes Pharisei & cæteri divites, *Luc. 21. v. 2.* Proinde quod si quispiam in sua paupertate, nummo etiam uno moderatè uti didicerit, non est, quod ei virtutem liberalitatis denegare velis. Præsertim cum talis vel

in uni-

in unico nummo se vel prodigum vel avarum declarare queat, dum videlicet illum elargitur, quando & ubi non est necesse, & contra quando retinet, cum elargiri honestas efflagitabat. Et quamvis accidat, ut quispiam plane requiratur omnibus rebus & quidem absolute destitutus, ita ut nihil omnino habeat, unde liberalitatem exercere possit: Interim tamen, quia uti dictum, ad animum, qui basis & fundamentum liberalitatis constituitur, respiciendum, non est quod dubites, quin talis cujus animus ita est comparatus, ut in bonis externis, si suppetent, moderate operari & versari promptus sit, fundamentaliter liberalis recte dicatur. Atque sic pro quaestione hujus decisione distinguimus. 1. Inter liberalem fundamentaliter & formaliter consideratum. 2. Inter actum primum & secundum liberalitatis.

QUÆST. VI. *Utrum qui pauca elargitur tam possit esse liberalis, quam qui multa?*

Sic est ut dixi præcedenti quaestione, metitur vulgus beneficia non ex qualitate & animo dantis, sed ex quantitate ejus, quod datur, hoc est, quibus Pluto suo splendore aciem oculorum magis perstrinxit, quam prudentia & sapientia mentem, hi magnitudinem pecuniæ ponderant, & animum nil curant, sed hoc modo argumentantur. Cujus objectum est, præstantius, is est liberalior. Atqui, qui multa elargitur, ejus objectum est præstantius. Ergo etiam liberalior. Verum tam liberalem esse, qui pauca animo lubenti elargitur, habita ratione suarum facultatum, quam qui multa, quinimo interdum liberaliorem esse, probamus his fundamentis. 1. à causa efficiente liberalitatis. Cujus animus ad beneficium propensior est, ille etiam liberalior est. Liberalitas enim uti antea dictum, judicio sapientum, æstimanda est ex animo dantis. Animus ergo est, qui res parvas extollit, sordida illustrat, & contra magnas & in pretio habitas dehonestat. 2. à signo ad rem signatam. Quanto melius est signatum signo, tanto etiam liberalior dicendus, qui parva dedit magnifice, regnum opes æquavit animo, & exiguum suum tribuit cum jucunditate, quam qui dat splendida, dona ex abundantia luxurianti animo. Siquidem τὰ χεῖματα seu opes in hac actione nihil sunt aliud, quam ministeria mentis, quibus voluntatem nostram beneficiendi egregiam, & animum erga aliquem benevolam explicamus.

Quam

QUÆST. VII. *Vtrum indifferentè omnia bona
sint communicanda?*

Græcorum est proverbium: πᾶν τῶν φίλων κοινὰ, ami-
corum omnia sunt communia, Et Platonis sententia fuit: felicem
ac beatam fore civitatem, in qua omnia bona essent communia, nec
audiretur, meum & tuum. Unde pro defendenda sua assertione
aliqui allegant communionem bonorum in primitiva Repub.
Christiana usitatam, *Actor. 4. & 5.* Item huc referunt exemplum
Ananiæ, qui divinitus punitus & morte mulctatus ob id, quod
quædam sibi reservare voluerit *d. c. 5. Actor.* Item quod ab initio
mundi res omnes ad usum hominis creatæ, omnibus fuerint ho-
minibus communes. Verum quod non debeant omnia bona esse
communia, nec indistinctè cuivis communicari, probatur his fun-
damentis. 1. Quia Deus per Moysen furtum fieri vetat, *Exod. 20.*
vers. 15. Unde manifestè sequitur, Deum nolle omnia bona esse
Christianis communia. Quinimo prohibet Moyses appetere do-
mum, uxorem, ancillam, servum & jumentum proximi, *d. c. 20.*
v. 17. Hinc frequenter in sacris Deus præcepit fieri eleemosynas,
2. Cor. 8. Matth 6. Quod non faceret Deus, si jure divino omnes
res deberent esse communes. 2. Quod jus humanum attinet, nul-
lum est dubium, quin communio bonorum sit explosa. Siquidem
& jure gentium rerum dominia distincta & insuper à jure civili
modi acquirendi dominium adinventi, *t. instit. de rerum divis. &*
seqq. 3. Quia res non sunt uniformes: quarundam enim rerum pos-
sessio est honesta & licita, quarundam est inhonesta & illicita, utpote
communio uxorum, &c. Sic quædam res alicui est noxia, ut si
quis donaret cultrum vel gladium puero, &c. Cum ergo omne
beneficium ab aliquo profectum debeat esse honestum & utile
cum sibi tum aliis, sequitur non indifferentè, quæcunq; bona esse
communicanda, sed tantum illa, quæ sunt honesta & quibus suc-
currimus aliorum necessitati & indigentia. Siquidem beneficium
non tantum illud est, date, quod alicui prodest, verum etiam de-
negare, quod inhonestum, illicitum, & nocere potest. Quod atti-
net Græcorum proverbium, illud non est simpliciter verum, sed
tantum intelligi debet, de iis bonis, quæ honestum licitum & utile
est aliis communicare, & absque nostrarum facultatum dispendio
communicari possunt. Non enim sic dandum est, ut aliis sit rela-
xatio, nobis verò afflictio. Sic enim magis proximum diligere-
mus, quam nosmetipsos, & contra charitatem ordinatam, quæ à
seipfa

seipsa incipit, peccaremus. Multò minus valet, si quis alleget sententiam Platonis. Nam istiusmodi bonorum communionem magis perniciosam, quàm utilem esse Reipub. exinde manifestum est, quod experientiâ teste communio bonorum sit materia rixarum & contentionum & ut plurimum soleat discordias & turbas parere, uti exempla eorum, qui quædam bona communia habent & pro indiviso possident, satis superque testantur. Ad primitivam Ecclesiam quod attinet, longè fuit alia ratio. Nam temporis conditio suadebat tunc temporis, ut venderent sua bona & in commune conferrent. Quia metuendum illis erat, ne de fundis suis propter Evangelii professionem dejecti pellerentur in exilium. Et quidem hoc commodè fieri poterat tunc temporis, quia Ecclesia adhuc erat valde contracta. Hodie cum Ecclesia Christiana per totum orbem terrarum sparsa, in ea commoditate fieri non potest. Porro non erant ipsi Apostoli allegati, ad istiusmodi communionem, sed integrum erat retinere bona, ut disertis verbis Petrus ad Ananiam fatetur, Act. 5. Ex nullo Dei mandato tenebantur id facere. Quod tamen Ananias divinitus punitus, causa non est, quod omnia sua bona non communicaverit, sed quia partem pecuniæ ex venditione bonorum redactæ, dolosè occultavit, & sic in fraudem Sp. S. sibi soli reservare voluerit. Neque est, quod primam institutionem allegant. Nam quamvis à Deo omnia animalia & creaturæ ad promiscuum hominum usum creatæ: post lapsum tamen dominia rerum sunt distincta. Sic enim Adami filii, Abel & Cain, proprios habuerunt greges, Gen. 4. uti etiam id ipsum exemplis Abrahami, Lothi, Isaaci, Jacobi & aliorum Patriarcharum satis superque confirmatur.

QUÆST. IIX. *Verum liberalis dives maneat & facile dives evadat?*

Negativam quæstionis, qui timentur, hoc imprimis moventur argumento, quod liberalis non sit $\lambda\eta\pi\tau\iota\theta\varsigma$ neque $\phi\upsilon\lambda\alpha\kappa\tau\iota\theta\varsigma$ sed $\omega\epsilon\gamma\epsilon\pi\iota\theta\varsigma$, hoc est, quod non sit vel ad accipiendum vel ad custodiendum, sed ad largiendum propensus, & quod pecuniam non propter se magnificat, sed ut eandem possit elargiri & aliis donare. Verum contraria sententia est verior. Nam quamvis, uti antea demonstratum, liberalitas magis consistat in dando, quàm in accipiendo, & sic liberalis magis propensus sit ad largiendum & alius benefaciendum, quàm ad accipiendum: Interim tamen non pugnat cum legitimis & honestis modis acquirendi, neque cum

Parsimonia, qua divitiæ acquisite conservantur. Porro liberalis non tenetur aliis benefacere supra facultates suas & cum detrimento rei familiaris suæ, sed in quantum facere potest, habitâ ratione suarum facultatum, ne aliis sit relaxatio, sibi verò afflictio. Nam qui plus elargitur quam potest, is non est liberalis sed prodigus appellandus. Quamobrem cum legitimos acquirendi modos liberalitas non detrectet, nec parsimoniam, uti dictum, excludat, concludendum putamus, liberalem & divitem posse manere & etiam divitem posse evadere.

QUÆST. IX. *Verum indifferenter tam improbis quam probis dandum?*

Negativam qui tumentur, moventur dicto Syracidis c. 12. ubi fertis verbis Syracides prohibet elargiri bona impiis his verbis: Ne impiorum misereamur, iisque beneficiamus. Verum contrarium verius est. 1. Ab exemplis Christi, qui mores nostros corruptissimos non spectat, sed solem facit oriri tam supra injustos, quam justos 2. à mandato Dei. Jubemur enim omnino inimicis nostris ac impiis benefacere, *Matth. 5. v. 44. Luc. 6. v. 29.* 3. Quia nos latet, sub qua veste, Christus ad nos venit petitem panem. Quamobrem quantum citra jacturam & dispendium facultatum nostrarum fieri potest omnibus ad nos venientibus dandum erit. Et quamvis alicujus impietas nobis esset bene cognita: attamen in casu, ubi extremè eget, illi dandum esse putamus. Non enim hac ratione damus, ut vel illum confirmemus in sua militia, vel ut malos mores comprobemus, sed ut naturæ & indigentiae humanæ subveniamus. Atque sic distinguendum hoc loco putamus, inter hominem quatenus in individuo & quatenus in specie consideratur.

QUÆST. X. *Vtrum Avaritia magis pugnet cum liberalitate, quam profusio?*

Avaritiam prodagilitati præferendam esse videtur probari posse his argumentis. 1. Quia Avarus melius suis rebus consulit, quam prodigus. Præstat enim in Repub. habere divites, quam pauperes, magis enim possunt, tempore necessitatis, Reipubl. prodesse, quam prodigi. 2. Quia prodigus duplici ratione peccat, non tantum in dando, verum etiam in accipiendo. Nam non raro fieri solet, ut, postquam prodigi bona sua dilapidarunt, vel aliorum opes invadant, vel quacunque etiam ratione possunt, æs alienum contrahant & multos alios secum in miseriam & egestatem ducant. 3. Quia prodigi plerumque sunt intemperantes, & bona sua non tam in res honestas, quam in res turpes & obscenas, libidinis ex-

plendæ

plendæ gratia profundunt. Bono euidam Platoni vix obulum ex-
pendunt. 4. Quia prodigus comparatur furioso, *l. 1. ff. de curat. furios.* Nam quoad bona sua furiosum exitum facere dicuntur, *l. 12. ff. de Curat. & tut. datif.* Unde etiam curatores accipere tenentur, *§. furiosi, Instit. de curat. & t. r. si de curat. furios.* Verum Avaritiam deterio-rem esse prodigalitate asserimus his fundamen-
tis. 1. Quia prodigalitas magis laudatur. Nam experientia te-
statur, prodigum pluribus esse usui & commodo, quam avarum. Avarus enim nec sibi, nec aliis quicquam prodest, sed nocet, ubi & quacunque ratione potest. 2. Quia prodigalitas liberalitati magis assimilatur. Competit enim liberalitati dare: Atqui dare profusio-
ni similis est, quam Avaritiæ. Ergo minus vitiosa erit profusio, quæ aliquam cognationem & similitudinem habet cum virtute, quam Avaritia, quæ nullum omninò commercium habet cum vir-
tute. 3. Quia prodigus non tam ex malitia, quam stultitia pecca-
re dicitur. Est enim prodigalitas vitium, quod plerunque comita-
tur iuvenes, qui potius ex simplicitate, & quod experientiam rerum
nondum habeant, quam malitia peccant. Hinc dicitur prodigali-
tas opus simplicitatis, propterea, quod plerumque simplices
sint, qui hoc vitio affecti sunt. 4. Quia Avaritia est vitium incu-
rabile & insanabile, cum ætate magis magisque crescit amor ha-
bendi nummos & quo magis protrahitur vita Avarorum homi-
num, eo magis sese avaritia exerit. Unde non immeritò de Avaris
scriptum à Cic. Quo minus illis temporis restat ad mortem, eo
plus quærunt viatici. Contra prodigus facilius sanari & curari po-
test. Exemplo nobis esse potest filius ille perditus *Luc. 15. 5.* Hor-
rendis & abominandis epithetis avaritia passim depingitur, utpote
quod sit improbitatis, iniquitatis & iniustitiæ mater, metropolis
omnium vitiorum, &c. Interim tamen pro quæstionis decisione
distingueudum esse putamus, inter prodigum simpliciter conside-
ratum, & eum, qui non tantum prodigus, sed etiam iniustus ac in-
temperans. Simpliciter prodigum dicimus esse meliorem. Ava-
ris, non verò cum iniustitia ac intemperantia conjunctum. Et
hac ratione secundum & tertium argumentum nostræ sententiæ
non obstant. Ad primum quod attinet, Resp. ad maiorem conse-
quentiam negando. Nam quamvis Avarus melius suis rebus pro-
spicit, quam prodigus, interim tamen hoc non facit intuitu virtutis
& liberalitatis, sed tantum ut insanabilem & inexplebilem suam volun-
tatem compleat. Et quamvis præstet habere divites, quam paupe-
res in Republ. interim tamen Avari spontaneo motu nihil elargiuntur.

nisi vi & violentiâ extorqueatur. Nulli enim profunt, uti antes dictum, nisi ubi moriuntur, tunc enim incipiunt demum prodesse. Ad ultimum, quod attinet, nullius est ponderis.

QUÆST. XI. *Vtrum Avarus propriè parcus dici possit?*

Differentia quæ est inter Avaritiam & Parsimoniam maxima est. 1. Quia Parsimonia est virtus: Avaritia verò est vitium. Hinc Avarus dicitur improbus, parcus verò probus. Avarus vituperatur, parcus laudatur. 2. Quia avaritiæ deditus est nimium appetens divitiarum, nimium tenax, & omnia quæstus ac lucri gratiâ facit: Parcus non item, sed legitimis tantum modis & honestatis gratia sibi acquirit. 3. Quia ad Parsimoniam nos optimi quique Auctores hortantur, ut *Cic. in Paradoxo ultimo*: O Dii immortales, non intelligunt homines, quàm magnum vectigal sit Parsimonia, Sumptuose enim vivere proximus gradus est ad paupertatem. Unde *Seneca rectè*: Enias non quod opus, sed quod necesse est. Et *Plautus*: Festo die quod prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris. Et *Ovidius*:

Non minor est virtus quàm quærere parva tueri.

Nam quamvis hac ratione prodigus non possit prodesse, interim tamen neque nocet alteri: Atqui Avari nocent, quamdiu vivunt, &c.

QUÆST. XII. *Vtrum usura sint toleranda?*

Acerrime hæc de quæstione inter se pugnant Theologi & Politici, quorum argumenta huc adduci possent. Verum cum satis copiosè hac de quæstione à nobis in Collegio Politico *disp. 3. q. 15.* tractatum, ideoque uberiores tractationem hic lubens prætereo & industrium ac benevolum lectorem eo remitto.

EXERCITATIO X.

DE MODESTIA ET MAGNANIMITATE.

Resp. Ernesto Sprengero Lichenensi Wetteravo.

THESIS I.

Quia præcedenti disputatione de virtutibus, circa pecuniam & sumptus satis actum, consequens est, ut de virtutibus circa honores occupatis, de modestia & magnanimitate videamus.

2. Modestia vox vulgò generalis est, & vel 1. moderatum omnium virtutum usum significat, sicut *lib. 3. ad Herenn.* describitur, vel 2, ἐν ᾧ ἅπασαν omnium rerum denotat, *Cic. 1. off.* vel 3. pro tempore



temperantia sumitur, *Cic. 3. Tuscul. vel 4.* elegantem morum conformationem designat: Hic verò in specie *honorum* appetitionem aut fugam notat.

3. *Definitur*: Quod sit virtus moralis mediocritatem in honoribus appetendis & fugiendis servans.

4. *Objectum* ergo *Modestiae* sunt *Honores*, non verò quivis, sed tantum modici & parvi. In hisce enim officium modesti potissimum positum esse videtur, ut debitos honores modo licito appetat, & ab indebitis & dignioribus absteineat.

5. *Extrema* modestiae duo sunt: Unum in excessu, & vocatur *ambitio*; alterum in defectu & vocatur *honorum contemptus*.

6. *Ambitio* vitium est in modicis honoribus appetendis, modestiae fines & limites excedens, Idque fit. 1. Quando honores prosequimur & appetimus tales, quos nec appetere nec acceptare convenit. 2. Quando per inhonesta media eosdem venamur.

7. *Honorum contemptus* est vitium, quando in fugiendis debitis honoribus à modestia deficiamus. Idque fit. 1. Quando honorem fugimus talem, quam appetere & acceptare decebat. 2. Quando per honesta media ad nos delatum honorem repudiamus & amolimus.

8. *Magnanimitatis* vox hoc loco non capitur generaliter pro fortitudine, uti *Cic. 1. off.* Uti neque pro omnium virtutum quodam ornamento, quemadmodum apud *Arist. 4. Eth. c. 3.* sed specialiter, pro virtute appetitum nostrum in magnis honoribus expetendis regente, sumitur.

9. *Definitur*: Quod sit virtus mediocritatem in magnis & debitis honoribus expetendis servans.

10. *Objectum* ergo *magnanimitatis* sunt *honores magni*. Non verò omnes sine discrimine, sed solum veri & à viris bonis legitimisque mediis acquisiti & oblati.

11. *Extrema* magnanimitatis duo sunt: In excessu *Superbia*: In defectu *Pusillanimitas*.

12. *Superbia*, quæ alias *fastus*, *inflatio* seu *elatio* animi dicitur est vitium in magnis honoribus expetendis mediocritatem excedens. Idque fit. 1. Quando honores tales, quibus omninò indigni sumus, affectamus. 2. Quando plura nobis tribui satagimus quam nobis debetur. Quorum primi *superbi* & *stulti*; Postremi *superbi* simul & *injusti* dicuntur.

13. *Pusillanimitas* est vitium licitos & debitos honores magnos fugiens & contemnens. Quo vitio imbuti sunt illi homines, qui

magnis honoribus se indignos judicant, cum tamen digni sint, atque sic semetipfos præter meritum defraudant.

QUÆST. I. *Vtrum ad honores adspirandum?*

Negativam defendunt Anabaptistæ, qui honorem omninò exterminatum cupiunt. 1. Quia solus Deus est honorandus, *Apocalyp. 4. v. 11.* 2. Quia honor est res inconstans ac fragilis, & ut plurimum pendet ex hominum voluntate, qui in singulas horas mutari potest. 3. Quia appetere honores, nihil est aliud quàm appetere honorari & magnifici ab aliis. 4. Quia honor plerumque invidiam & superbiam habet comites, excidat discordias, seditiones & rixas, tollit pacem, amicitiam & concordiam. Hinc *Cic. in Lælio*, amicitiam sæpè labefactari ait, si in honoris contentionem amici incidant. Unde proverbium, honores mutant mores, & raro in meliores, &c. 5. Quia multa etiam pericula habet annexa: Epaminondam enim exosum reddidit honor: Camillum in exilium pulsavit dignitas, *Liv. lib. 3.* Seditiois causam præbuit Manlio: *Liv. l. 6.* Idem testatur historia Romuli & Remi. Cæsaris ac Pompeji. 6. Exemplo Christi & aliorum piorum, qui honorem contempserunt. Verum quod liceat appetere honores, probatur his argumentis. 1. Quia virtutem appetere licet. Ergo & honorem. 2. Quia infamia est fugienda. Ergo honor appetendus. 3. Quia honoris desiderium optimis ingeniis naturâ insitum est. 4. Quia Deus præcepto decalogi IV. præmi loco, piis gloriam & honorem pollicitus est, sicuti impiis confusionem. 5. Quia honor alit artes. Incendimur enim studio gloriæ ad cultum virtutis. Hinc Spartani liberos suos mox à primâ ætate duci capiunt gloriâ, ut infamiâ ingemiscant & exultent laudibus. Quem non tangant, ea neq; commoveant, ab omnibus is despicitur, ut degener ad virtutem & ignavus, *Plaut. in Lysandro.* 6. Quia honor inter bona externa principatum obtinet. *Aristot. lib. 4. Ethic. 4.* ubi ait: ἡ τιμὴ μέγιστον τῶν ἐν τοῖς αἰσθητοῖς honor bonorum externorum est maximum. 7. Quia honor est præmium virtutis. Quod si jam virtus, quæ est causa efficiens honoris expetenda. Ergo & ipse honor expetendus. 8. Quia honor est calcar virtutis, vel ut *Valerio Maximo* placet, est alimentum virtutis. Unde *Plutarch.* rectè: Nemo curans gloriam bonam evadit malus. Et *Ovidius 5. Trist.*

— Non parvas animo dat gloria vires,
Et fecunda facit pectora laudis amor.

9. Quia Respub. tunc honorum & præmiorum distributione non potest

potest consistere. *Vnde Arist. t. 1. Ethic. 5.* Virum politicum non contemnere honorem ait: Honor enim est, qui conciliat auctoritatem & aditum parat ad præclaras actiones edendas. Hinc Romani cives suos ad laudabilia facta triumphis & præmiis incenderunt. 10. Quia honor est testimonium vitæ honestæ, & firmum præsidium adversus improborum calumnias. Hinc *Cic. lib. 1. off.* ait: Negligere, quid de se quis sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Et apud *J. C.*as honor vitæ infamia mortis comparatur. Interim tamen pro quæstionis decisione notandæ sunt aliquot distinctiones, & cautiones in honore expetendo. Distinguiamus enim 1. Inter honorem verum & falsum, quorum ille est præmium virtutis: hic verò indignis etiam tribuitur. 2. Inter moderatum appetitum veri honoris & immoderatum. Priorem enim dicimus esse licitum; posteriorem verò turpem & illicitum. 3. Inter honorem pro signis & honorem pro meritis. Honorem pro signis appellamus eum, qui tantum nudum signum honoris est absque virtute seu resignata. Honorem pro meritis dicimus, qui propter eruditionem vel propter alia dona est vel in Politico vel Scholastico honore. 4. Inter honorem, qui cadit in hominem dependenter & in Deum independenter. Constat enim ex sacra Scriptura Deo ordinante & præcipiente honorem introductum. *Roman. 13. v. 1. & v.* Cautiones verò in honore appetendo hæc sunt. 1. Ut eum honorem appetamus, qui nobis convenit & quo digni sumus, siquidem honor supra meritum & dignitatem tributus plus nocet, quam prodest. 2. Ut honorem petamus ab eo, ad quem honorum collatio pertinet. Ea enim vera laus est, quæ proficitur à viris laudatis & prudentibus. Unde *Hector* apud *Nævium* rectè: Lætus sum laudari me abs te patet, laudato viro. 3. Ut honorem appetamus non per se, sed ut magis idonei reddamur ad præclara munia in Repub. obeunda. Cum enim honor sit signum & testimonium nostræ virtutis & eruditionis, nō debet in nobis esse otiosus, sed ut eo magis per eum totus illuminetur mundus, & ut ad justitiam & veritatem homines erudiantur. Per se enim appetere honorem, non modestiæ, sed ambitionis signum est. Vide *Cic. 15. Epist. 4. ad Caton.* negat se unquam gloriam per se putasse expetendam. 4. Ut ex justa causa honorem appetamus. Non enim aliunde quam per virtutem honorē quæramus. Unde apud Romanos templa virtutis & honoris erant conjuncta, ita tamen ut nō pateret aditus ad templū honoris, nisi per templū virtutis. Hinc *Arist. 4. Ethic.* superbos & stultos appellat, qui vestitu, qui gestu & aliis ejusdem

generis ornamentis honorem captant. Quibus distinctionibus & cautionibus præsuppositis facile erit, quid in hac quæstione statuendum, & quomodo ad contraria argumenta respondendum.

QUÆST. II. *Vtrum honor potius honorantis an
verò honorati?*

Honorem magis esse honorati, quam honorantis probari potest his argumentis. 1. à subjecto collationis, ejus enim est unum quodque, cui attribuitur: Atqui honor attribuitur honorato. Ergò, &c. 2. à subjecto denominationis, ejus enim res est, qui à re denominatur. Atqui honoratus dicitur, non qui honorat, sed in quem honor confertur. Ergò, &c. 3. Quia honor est præmium virtutis. Atqui præmium non competit honoranti, sed honorato. 4. Quia honor est operatio transiens. Atqui operatio transiens non terminatur in producente, sed in recipiente. 5. Quia vituperium, dedecus, infamia, &c. non sunt largientis, sed recipientis: Ergò etiam honor oppositum infamiae non erit largientis, sed recipientis. Connexio est manifesta ex eo, quod oppositorum eadem sit ratio. 6. Quia de honore solliciti, non viros honorantes, qui interdum in nulla sunt existimatione, sed honoratos introspicimus. 7. Ab auctoritate *Seneca* qui *Epist. 103.* sic inquit: Si laudem laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculam rem profertis, quam si affirmaretis meum esse, quod alius bene valet. Contra, honorem magis esse honorantis testatur 1. *Aristoteles 1. Moralium ad Nicomachum 5.* ubi dicit. Summum non esse positum in honore propterea, quod honor magis sit honorantis, quam honorati. 2. Quia omnis affectus est tribuendus suæ causæ. Atqui honorans est causa istius honoris: Oritur enim ex interna affectione, judicio seu præelectione honorantis. Ergò, &c. Est ergò pro quæstionis decisione notandum, honorem tripliciter sumi. Uno modo pro meritis: secundo modo pro signis: tertio pro actione honorantis: Quod si jam honor sumatur, primo modo puta pro meritis, tunc verum est, quod sit honorati. Offeritur enim sicut præmium virtutis, de quo etiam vulgè rectè dicitur: Unumquemque teneri, honoris sui esse defensorem acerrimum, nec licere suum honorem alteri cedere, vel esse quoad honorem liberalem. Quod si verò honor sumatur tertio modo pro nuda actione ejus, qui honorat, eatenus verum est quod sit magis honorantis quam honorati. Si verò honor sumatur pro signis, tunc partim est honorantis & partim honorati. Honorantis est, quatenus pendet ab honorante. Honorati verò est, quatenus in honoratum transit.

QUÆST.

QUÆST. III. *Vtrum honor noster possit negligi, an
verò acerrimè debeat defendi?*

Qui cum Philosophis Cynicis sentiunt, procul dubio omnem honorem contemnendum esse putant, parumque referre, quid populus de nobis & dicat & sentiat. Cynici enim Philosophi, uti refert *Laërt.* omnem gloriam, honorem & divitias contempserunt & nihil curarunt, quid de se quis senserit vel dixerit. Uti memorabile exemplum habemus de Diogene Cynico, qui, ubi Alexander M. ei ante dolium suum soli obversum adstaret & diceret: Ego sum Alexander M. Rex Macedoniae: Respondit ille: Ego sum Diogenes canis. Verum quod debeamus nostrum honorem tueri eumque contra calumniatores acerrimè defendere, probatur his argumentis. 1. Quia honor est signum, imò precium & nutrimentum virtutis. Ergo non tantum magnificandus est honor, verum etiam acerrimè & quantum legitimis modis fieri potest, defendendus. Crudelis enim est qui famam suam negligit, eamque pro viribus adversus Sycophantas & calumniatores justè non defendit, *c. non est audiendus, 11. q. 3. & c. n. 10. 12. q. 1.* Et *Cic. lib. 1. offic. ait:* Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est; sed etiam omninò dissoluti. 2. Quia honor & vita paribus passibus ambulant, *l. 9. de manumiss. vind.* Ergo ut aliquis vitam, sic etiam honorem suum defendere debet. 3. Quia infamia unicuique, quantum fieri potest, est fugienda & à se avertenda. Ergo contra honor est necessariò defendendus. Reprehendendi ergo sunt, qui honorem suum nihil curant, & eundem cum possunt, legitimis modis non defendunt. Aliud verò dicendum, si potentiores contra quos non tam facilè nos defendere possumus, nos præmiis virtutum spoliant, tunc honor noster suo decore semetipsum satis sustentat, & conscientia virtuti satis amplum est theatrum.

QUÆST. IV. *Vtrum aequalis debeat esse defensio
honoris & vitæ?*

Non desunt sanè, qui opinantur, æquè posse quempiam honorem suum defendere ac ipsam vitam. Et per consequens posse honoris sui tuendi gratiâ licitè injuriantem non tantum vulnerare, verum etiam occidere. Fundamenta, quibus moventur, hæc imprimis sunt. 1. Quia crudelis est & dicitur, qui famam suam negligat, *c. nolo. 12. q. 1. c. non sunt audiendi, 11. quest. 3.* 2. Quia vita & fama paribus passibus ambulant & æquiparantur, *l. 9. de manumiss. vindict. l. 8. §. perulis. quod metus causa.* 3. Quia bonis viris injuriæ
G 5 metus

metus major, quàm mortis esse debet, *l. 1. §. item Divus, ff. ad l. Corn. de Sicar. l. 8. §. penult. quod metus causa.* 4. Quia quod quis homicidium ob corporis vel salutis suæ tutelam fecit, impunitum debeat manere, *l. 3. in fin. C. ad l. Corn. de Sicar.*

Verùm contraria sententia veritati magis est amica & passim etiam recepta & approbata. 1. Quia defensio tantum, & quidem non omnis, sed moderata, non etiam vindictio est permessa, *l. 5. l. 45. §. cum aliter, ff. ad l. Aquil. §. l. 9. ff. ad l. Corn. de Sicar. §. l. 1. C. unde VI.* Atqui qui injuriantem vulnerat, vel prorsum occidit, honorem suum non defendit, sed potius propriam vindictam exercet, *Vasq. lib. 1. controu. illustr. c. 12. n. 2. Obrecht. tr. de defens. necess. c. 9. n. 7. Matth. Steph. cent 1. q. 9. Arithm. disp. 10. colleg. crim. th. 5. 2.* Quia ubi de defensione agitur in jure, semper ei vis opponi solet, *l. 3. de l. §. l. 4. §. 5. ad l. Aquil.*

Ad argumenta in contrarium opposita Resp. ad 1. Illum non censeri negligere famam, qui remediis jure concessis utitur. Potest enim injuriatus injuriam suam debita actione prosequi, eamque competenti actione vindicare. Ad 2. Resp. id tantum verum esse in certis quibusdam casibus, & ubi est par ratio vitæ & famæ quoad restitutionem, ut est casus violenti stupri, &c. Idcirco etiam summa laude est digna Susanna, quod maluit mortem oppetere, quàm pudicitiam suam prostituere. In iis ergo casibus, in quibus non est par ratio quoad restitutionem, vita & fama paribus passibus non ambulant. Nam cæde alterius nemo se defendere potest, nisi se aliter tueri non possit, *l. 54. §. qui cum. Ad l. Aquil.* Atqui fama sine cæde alterius defendi potest. Ergo, &c. Ad 3. Resp. Negandam esse consequentiam. Non enim sequitur: Bonis viris injuriæ metus major esse debet, quàm mortis. Ergo potest æquè injuriam realem & verbalem defendere. Nam uti dictum est, injuriatus aliter se tueri potest. Ubi autem alia defensio præsto est, ibi violenta defensio, non meretur excusationem. Non enim est amplius defensio, sed ultio, quæ jure prohibita. Ad 4. Resp. Quod in *d. l. 3. C. ad l. Corn. de Sicar.* generaliter scriptum, id ex aliis locis & ratione æquitatis temperandum.

QUÆST. V. *Utrum honor noster per retorsionem sive recriminationem defendi possit?*

Videtur hoc posse improbari. Quia privata vindicta est prohibita. Tueri enim se quis potest, non vero ulcisci, *l. 45. §. qui cum alio. Ad l. Aquil.* Atqui recriminando vel retorquendo injuriam, nec potest se quis tueri vel injuriam repellere, quia jam facta & il-

lata

lata est. Tuetur n. quis se, ne ictus ab adversario inferatur, isque repellitur, ne noceat corpori nostro. Atqui quam primum facta est injuria verbalis, statim existimationem nostram ita laedit, ut recriminando vix removeri vel aboleri possit. Ergo recriminando aliquis se ulciscitur, & perconseq. actione injuriarum tenetur. Verum contrarium juri & æquitati verius est. 1. Quia hoc non injuriandi, sed sui purgandi causa facit. Atqui purgare se & injuriam à se removere est licitum. Ergo, &c. 2. Quia merito ei est ignoscendum, qui provocatus, injuriam retorquet, *l. qui cum major 14. si libertus, ff. de bonis libert.* Et ferendus est pudorem suum purgans, *l. qua omnia, vers. ceterum ferendus, ff. de procuratorib.* Unde neq; actione injuriarum tenetur, *d. l. qua omnia, 25. §. 1. de procurat.*

Interim tamen tenendum, oportere eum, qui injuriam verbalem verbis repellit, eandem injuriam retorquere, nec novam infringere. Quia de re vide *Specul. in tit. de accusat. §. unic. n. 11. Gail. 2. obs. 100. n. 9. Mynsing. cent. 5. obs. 17 n. 3. Modest. Pist. conf. 3. n. 34.* Et quamvis multi Dd. simpliciter dicant, ei qui verbis injuriosis provocatur, permissum esse, ut se iterum verbis injuriosis defendat: *Schrad. tr. de feud. part. 9. c. 4. n. 120.* Id tamen juxta distinctionem Jctorum antea allegatorum intelligendum esse puto.

QUÆST. VI. *Vtrum homo virtute præditus semper sit honore dignus?*

Invenies non raro quosdam, qui putant per aliorum injurias, contumelias, calumnias & obtreptiones honore homines virtuosos spoliari, nec posse tales eundem ereptum aliter recuperare, nisi parem aut majorem injuriam rursus inferant. Verum longè errant qui ita sentiunt. Nam posita causa meritoria, virtute videlicet, necessario sequitur effectus videlicet honor. Atqui in virtuoso manet actio virtuosa. Ergo, &c. 2. Quia nemo potest suis convitiis & calumniis alii eripere virtutem. Ergo non potest indignum honore efficere. 3. Quia turpitudine non venit ex ignominiosis verbis seu calumniis, sed ex vitio morali & delicto admisso. Hoc enim est, quod hominem honore indignum reddit, *t. t. de his, qui notantur infamia.* Quamobrem licet vir probus & honestus præter meritum injuria ab aliquo afficiatur: attamen propterea non minus honore dignus est, quam antea fuerit. Et quia illud tantum turpe est de jure, quod lex, SCra, Constituat. Edicta & boni mores ventant, *l. 5. C. de H.* injustè agunt, qui rursus injuriam inferre student, & tantum abest, ut hac ratione honorem suum recuperent, quòd hoc modo magis se honore privant eoque se indignos efficiunt.

efficiunt. Interim tamen cum hac ratione vir honestus non parum ratione honoris lædatur, opera ipsi danda est & quidem legitimis mediis eò laborandum, ut alii intelligant, se injustè læsum esse.

QUÆST. VII. *Vtrum virtuosus propter improbitatem & infamiam suorum parentum vel consanguineorum sit honore privandus?*

Qui infamiam non lege, sed opinione vulgi definiunt, procul dubio affirmativam quæstionis tuentur, & quidem moventur imprimis his argumentis. 1. Quia quicquid ex inquinato & impuro fonte fluit, id inquinatum & impurum est. Hinc dicitur in communi proverbio: *malus corvus, malum ovum*. Et germanicè dicimus: *Der Apffel feld gemeintlich nicht weit von dem Stamm*. 2. Quia fortes progenerantur à fortibus, & boni à bonis. Ergo contra, mali à malis & impiis parentibus progenerabuntur. 3. Quia nobilitatis honos innascitur posteritati. Ergo & delictum ingenerabitur posteritati per parentes. Exempla utriusq; rei vide apud rerum gestarum scriptores. Verum contrarium est juri & æquitati magis consentaneum. 1. Quia nemo debet alterius odio prægravari, *c. non debet. 20. de R. l. in 6. & l. non debet 47. de R. l. & l. sancimus, C. de pen.* 2. Quia filius non est subjiciendus oneri paterno, *l. crim. 26. ff. de pen. c. si culpa 25. ubi Decius de R. l. in 6.* 3. Quia ignominia & infamia alicui non venit, nisi ex propria turpitudine & delicto, *t. t. ff. de his, qui notantur infamia.* 4. Quia nemo tenetur reddere rationem, nisi eorum, qui in sua sunt potestate. Quod si verò quispiam occasionem ad istiusmodi improbitatem & infamiam suorum præbuerit, aliud dicendum est.

QUÆST. VIII. *Vtrum Magnanimitas sit Virtus?*

Magnanimitatem non esse virtutem videtur probari posse his argumentis. 1. Quia modestia est virtus, consistens in vero & recto circa honores. Atqui recto non potest esse rectius. 2. Quia magnanimitas non consistit in medio, sed in maximo, *Aristot. 4. Eth. 6.* 3. Quia magnanimitas opponitur humilitati. Magnanimus enim se dignum reputat maximis honoribus & alios contemnit: humilitas verò facit, ut homo seipsum parvi ducat, alios verò admiretur & honoret. Atqui nulla virtus opponitur virtuti. Ergo, &c. 4. Quia magnanimitas operationibus aliarum virtutum operatur: utpote pertinet ad magnanimum, ut non sit sordidi & abjecti animi, sed excelsi & planè invicti, quod est fortitudinis. Sic pertinet ad magnanimum, ut omnia consideratè & prudenter agat.

agat, quod est actus prudentiæ, Sic voluptatem non curat, quod est temperantiæ. Injusta non facit, quod justitiæ actus, &c. Contra, magnanimitatem esse virtutem, probatur his fundamentis. 1. Quia est habitus præelectivus in mediocritate consistens. 2. Quia medium tenet inter duo extrema. 3. Quia versatur circa actionum difficilima. 4. Quia hominem in morum actione reddit perfectum. 5. Quia morum actiones ad beatitudinem civilem dirigit. 6. Et positis omnibus requisitis virtutis, ponitur & ipsa virtus. Atqui magnanimitati omnia virtutis requisita competunt. Adest enim recta ratio & iudicium prudentis: adest congruentia cum regula rectæ rationis: adest ipsa mediocritas: adest honestas. Ergo, &c. Ad solutionem argumentorum in contrarium adductorum, distinguendum puto. 1. Inter rectum mathematicum & morale. Recto enim mathematico nihil est rectius, at verò morali datur rectius. Disting. inter objectum & medium operandi circa objectum. Magnanimus enim quoad objectum in magnis versatur, at circa medium operandi in mediocritate. 3. Dist. inter statum politicum & spiritualem. Et sic magnanimitas non pugnat, cum humilitate, cum hæc sit spiritualis, illa verò politica virtus. Et potest quis est magnanimus politicè, & interim nihilominus spiritualiter humilis corde & pectore. 4. Dist. inter magnanimitatem latè & strictè sumptam, &c.

QUÆST. IX. *Vtrum magnanimus injuriam recordari & ulcisci debeat?*

Affirmatur his argumentis 1. ab exemplo Dei. Quia Deus ipse non tantum vindicat injuriam illatam, sed etiam per magistratum injurias puniendas ordinavit. 2. Quia vindicta nihil est aliud, quàm injuriæ contumeliæque illatæ punitio. 3. Quia non vindicare injuriam nobis illatam omnino turpe est. Ergo contra honestum erit eandem vindicare. 4. Quia sine punitione & vindicatione injuriam neque disciplina, neque societas ulla consistere potest. Contra, virum magnificum non debere injuriam ad animum revocare eandemque ulcisci, probatur his argumentis. 1. ab officio viri magnanimi. Magnanimus enim in utraque fortuna moderatum se præbere, & rerum momenta diligenter & circumspectè ponderare debet. Unde Cic. 1. off. ait: Quæ eximia plerisque & præclara videntur, parva ducere, eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi magnique ducendum est: Et ea, quæ videntur acerba (quæ multa & varia in hominum vita fortunaque versantur) ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate

tate

tate sapientis, robusti animi est magnæque constantiæ. Unde Ovidius 2. de Ponto

Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit.

Illo etiam vires corpus habere facit.

Cum igitur recordari injuriam cum viri magnanimi officio pugnet. Unde Seneca venuste & eleganter in hunc modum: injuria ad virum prudentem & sapientem non pertinet. Ergo, &c. 2. Quia privato odio ulcisci injuriam, est animi imbecillis proprium. Unde Cic. 1. Offic. ait Quod nihil sit laudabilius, nihil viro magno & præclaro dignius, quam placabilitas & clementia. Contra nihil magis muliebri quàm de vindicta sumenda cogitare. Id quod Juvenalis Satyr. 3. sic expressit:

Vindictâ

Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

3. Quia injuriam inferre imbecillis est animi: Ergo contra injuriam perferre eamque non recordari, est fortis & magnanimi animi. Hinc valde commendatur Philippus Macedonum Rex, quod omnes suos conviciatores patientia vicerit, eosque clementia & placabilitate sua, ex inimicis amicos sibi reddiderit. Existimavit certè magnanimus ille Heros omninò regium esse benefacere, & tamen à calumniatoribus & inimicis malè audire.

Interim tamen pro quæstionis decisione distinguendum puto inter injurias. Sunt enim injuriæ non uniformes; quædam sunt famosæ, quæ famam & existimationem nostram imminuunt: quædam verò non sunt famosæ, sed tamen cavillationes & contemptus, quæ famam & existimationem nostram non tollunt neque imminuunt. Has quod attinet, vir magnanimus nihili facit & flocci pendit: illas verò debito & justo modo vindicat & ulciscitur.

QUÆST. X. *Vtrum magnanimitas & modestia specie differant?*

Quod præcedente disputatione de liberalitate & magnificentia assertum est; id ad magnanimitatem & modestiam, siquidem non est utrobique eadem ratio, non quadrat. Non autem imus inficias, hæcæ duas virtutes non nihil à se invicem differre, sed completa specie distingui, cum non tantùm circa unum idemque objectum gradibus saltem distinctum occupentur, verùm etiam modo virtuosè circa illud versandi convehiant, planè imus inficias. Differre ergo magnanimitatem à modestia dicimus, ut pulchritudinem in magno corpore à pulchritudine in parvo,

Arist. 4. Ethic. 7.

DISPU-

DISPUTATIO XI.
DE MANSUETUDINE.Resp. *Iona Petreo Wexionensi, Sueco Smolando.*

T H E S I S I.

Consideratis iis virtutibus, quæ versantur circa pecuniam & honores; considerandæ jam veniunt virtutes, quæ versantur circa societatem seu conversationem humanam, in qua cum habeatur ratio & iræ & conversationis in specie sic dictæ, consequens est, ut de iis virtutibus hac & sequenti disputatione agamus.

2. Vocabulum mansuetudinis quod attinet, non sumitur h. l. generaliter, pro eo, quod quacunque ratione est mansuetum vel cicur factum. Nam hac ratione, quodcunque à fero discretum est, dicitur cicur ac mansuetum: Neque pro altero ejusdem virtutis extremo, quod lenitudo dicitur, sumitur. Sed propriè pro virtute inter iracundiam & lenitudinem medium servante. Græcè dicitur *πραότης*. Alias dicitur placabilitas, humanitas & clementia.

3. Definitur: Quod sit virtus moralis, quæ iræ in vindicando & puniendo modum imponit, *Arist. 4 Eth. 5.*

4. Objectum mansuetudinis duplex est. Internum & externum. Internum est affectus ille turbulentissimus iræ. Externum sunt omnia ea, quæ iram in animo hominis excitare possunt, ut sunt injuriæ, damna, contemptus. Istitis videlicet imponit modum, ac in puniendo aut vindicando modus excedatur.

5. Per iram hoc loco non intelligimus vitiosum illum habitum iracundiæ: quem per hanc virtutem non moderandum, sed omnino eradicandum esse dicimus; sed intelligimus, uti dictum, affectum internum iræ, qui propter injurias, damna, vel contemptum ex sanguinis circa cor accensione oritur.

6. Modus ergo iræ imponendus consistit *partim* in ipsis rebus, quæ iram in animo hominis excitant, *partim* in circumstantiis personarum, modi & temporis.

7. Res quod attinet. 1. Non debent esse incertæ, sed certæ & indubitatæ. Nam mansuetus non est qui alteri succenset ob id, de quo, qualiter se res habet, adhuc dubitat. 2. Non debet esse res levis. Levis enim causa ad vindictam nos incitare non debet. Sed rem arduam & omnino gravem esse oportet, quæ nos ad vindictam promovet. Tales autem causæ censentur esse eæ, quæ
vel

vel ad cultus & honoris divini defensionem, vel ad patriæ, parentum, Reipub. conjugum, liberorum, famæ & existimationis conservationem & tutelam spectant. 3. Ne sit causa jam ante amabili compositione seu transactione finita. Non enim decet post reconciliationem duntaxat amicitiam, & cor plenum fellis & amarulentia retinere; sed oportet causæ irritatricis, quæ nos ad iram & vindictam commovit, omnino oblivisci. Aliàs recurrente causâ, semper recurret effectus.

8. Porro ad personas quod attinet, sciendum est, non omnibus indifferenter personis irascendum esse; sed tantum iis, quæ improbae sunt, & quas scelerum suorum admissorum non pœnitet. Non ergo irascendum brutis animalibus, quia ratione omnino destituntur; neque infantibus & pueris, quia adhuc nesciunt, quod agunt; neque furiosis, stultis aut fatuis, quia eorum iudicium est nullum; uti neque iis, qui ex consuetudine animi nemini parcunt, quemadmodum istiusmodi homines plures inveniuntur; qui ex prava animi consuetudine nemini parcunt, sed quibus possunt, ludibriis proscindunt. Wie gemeinlich die Hoff-Narren zu thun pflegen. Sic non tam graviter irascendum est iis, qui vel per errorem, vel per ignorantiam, vel per imprudentiam peccarunt, modo non constanter in peccato perseverent; sed serio culpam deprecantur.

9. Officium hominis mansueti in modo vindicandæ injuriæ consistit in hisce. 1. Nemini injuriam aut molestiam inferat, sed semper in vindicanda injuria, ira frænanda honestatem ob oculos sibi ponat, ut hæc veluti regulâ affectus suos regat. 2. In primo iræ fervore nec quicquam agat, sed defervescat prius ira non Physica sed Ethica. Hinc Athenodorus Philos. sapienter Augusto Cæsari hoc dedit consilium. Cæsar inquit, cum fueris iratus, ne quid dixeris, fecerisve, priusquam Græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recensueris. 3. Ne simus vindictæ cupidus, ut recta ratio apud nos locum invenire possit. 4. Pœna non excedat magnitudinem delicti. Unde Cic. 1. Offic. Cavendum est, ne major sit pœna, quam culpa.

10. Circa circumstantiam temporis notanda duo sunt. 1. Quando irascendum. 2. Quamdiu.

11. Omnis enim præcipitantia in ira est cavenda. Interim tamen cavendum & hoc est, ne nimis tardè in gravioribus irascamur. Deinde in seriis consultationibus, vel tempore gaudii, omnino non irascendum est, nisi injuria directo ad famam & existimationem nostram

nostram pertineat, quo casu possumus indicare, nos injuriam illam animadvertisse & cum Aristippo, referente Laërt. abire.

12. Ira non est diu alenda, aliàs in odium aut furorem convertitur. Id quod eleganter expressit Plutarchus hoc simili allato: Ut nō magno negotio flamma extinguitur in pilis leporinis, aut sciris, aut stipulis accendi cæpta: at non item solida corripuerit: sic ira primum gliscens, facile vel joco vel risu compescitur, cum videmus fumantem adhuc; quod si processerit, vix ullo negotio possit extinguui. Unde Salvator noster præcipit, *Luc. 17.* ubi jubet ut toties ignoscamus fratri, quoties veniam à nobis fuerit deprecatus.

13. Extrema mansuetudinis duo sunt: Unum in excessu, & dicitur *iracundia*: alterum in defectu, & dicitur *lenitudo*.

14. Iracundia est vitium, quo præter modum absque justis causis, nulla habita ratione personarum, loci & temporis, iræ indulgemus.

15. Differt proinde ira ab iracundia, tanquam affectus & habitus. Est enim ira affectus sive motus animi, ideoque per se, neque bona, neque mala: Iracundia verò est vitiosus habitus animi, ideoque omni modo prohibita. Quamvis hoc discrimen vulgò confundi soleat.

16. Estque iracundia triplex: Excandescencia, Amarulentia & Crudelitas.

17. Excandescencia est iracundia, qua subito citò & facile ob leves causas irascimur, subitoque placamur. Græcis vocatur *ἀνερχολία*, à *χολή*, id est bile, & *ἐν ἀκρω*, id est in summo, eò, quod iis, qui hoc vitio laborant, natet bilis in summo. Cum autem istiusmodi vitium nos & ingratos & morbosos reddat, danda est opera, ut motus nostri sint faciles, juxta illud:

Et faciles motus mens generosa caput.

18. Amarulentia, quæ aliàs ira inveterata & odii plena vocatur, est iracundia, qua tardè quidem irascimur, sed iracundiam semel conceptam tamdiu retinemus, donec vel vindictam fuerimus consecuti, vel temporis diuturnitate eam concoxerimus. Cum verò & hoc vitio non tantum aliis, verum ut plurimuma nobis ipsis nocemus, opera danda est, ne immortales iras in mortali pectore geramus, sed quàm primo amarulentiam ex animo projiciamus.

19. Crudelitas est iracundia pertinax & aperta, quæ absque vindicta placari non potest. Id quod Tyrannis est familiare, qualis fuit Herodes, Caligula, Nero, &c.

20. Lenitudo est vitium, quo ne quidem justas ob causas ad iram commovemur. Quod vitium cum valdè sit noxium Reipubl. Siquidem ad res præclaras gerendas apti non sunt, qui hoc vitio imbuti, propterea quod servili & abjecto sint animo, & videantur esse stolidi ac fatui, dum injurias sibi illatas non sentiunt, ideoque vitandum.

QUÆST. I. *Vtrum ira sit proprium & adequatum objectum mansuetudinis?*

Arist. 4. Ethic. 5. Objectum proprium & adequatum mansuetudinis ponit *Iram*, quam *lib. 2. Rhet. c. 3.* sic definit: Quod sit appetitus vindictæ apparentis cum dolore conjunctus, ortus ex apparente injusto contemptu sui aut suorum. Verùm cum mansuetudo non tantum servet modum in irascendo, verùm etiam in vindicanda & punienda injuria, idcirco vindictam, pœnam, & ultionem offensionis, damni & injuriarum, pro objecto mansuetudinis ponimus. Et quamvis *Arist. 3. Eudem. 3.* mansuetudinem circa dolorem ex ira profectum versari asserat: attamen ille dolor non est ipsum objectum, sed potius effectus istius objecti, & sic sub ira, tanquam objecto mansuetudinis interno comprehenditur. Et sic pro quæstionis decisione, distinctionem inter internum & externum objectum mansuetudinis, in thesibus positam hoc loco repetitam volumus.

QUÆST. II. *Vtrum interdum liceat irasci?*

Quæstionem hanc Stoici contra Peripateticos acriter semper disputarunt iram videlicet non convenire homini sapienti. 1. Quia contrariatur S. Scripturæ testimoniis. Omnis amaritudo & ira à nobis tolli debet, *Ephes. 4.* Beneficiamus inimicis nostris, *Matth. 5.* 2. Quia à profanis etiam Autoribus vituperatur ira. 3. ab effectis. Est inimica sapientiæ & justitiæ. Per iram enim sapientia destruitur & justitia relinquitur, dum enim perturbata meas judicium exasperat, quod furor suggerit, rectum putat. *Gregor. lib. 5. moral.* Quinimò destruit naturam nostram, & proinde ob vehementiam dicta est initium insanix ab *Annio*, furor brevis ab *Horat.* appetitus turbulentissimus ab *August. c. 115.* homicidium animæ à *Camerac. cent. 2. c. 2.* Megæra furiosissima, truculentissima, crudelissima à *Quercet. 1. c. 6. distet.* Porro rationem nostram ligat, cor hominis ad insaniam trahit & totum hominem furore æstuarare facit, *Cassian. de instat. Cænob.* referente *Crugero* in horto virtutum, q. 60.

Verùm non omnem iram esse vitiosam & prohibitam, probatur his argumentis. 1. Quia ira tribuitur ipsi Deo, cui vitium nullum

tribui

EXERCITATIO XI.

119

tribui potest : Dicitur enim peccatis nostris graviter irasci :
 Unde *Psalm. 4. vers. 5.* Irascimini & nolite peccare. Item *ad Ephes.*
4. Ne solo occidat super iram vestram. Et *Luc. 17.* jubet salvator
 noster toties fratri ignoscamus, quotiescunque veniam fuerit de-
 precatus. Zelus est justus *Num. 25. 4. Reg. 10. Psalm. 58.* Sic Moyses
 tabulas à Deo factas ob idololatriam populi ex ardenti indignatio-
 ne fregit, *Exod. 32. vers. 19.* sic super indignatione *Kora. Num 16.*
vers. 15. sic Saul adversus *Nahas 1. Sam. 11. v. 9.* Sic Zelus *Eliæ, 1. Reg.*
19. v. 14. 2. Quia ira per se est affectus naturalis : Ideoque non
 vitiosus. 3. Quia honestum est & laudabile irasci, quas ob causas,
 quomodo quando, & quamdiu decet. 4. Quia turpe est & vitu-
 perabile, non irasci. Hinc *Cic. 4. Tuscul. quest. ait:* virum non vide-
 ri, qui irasci nescit. 5. Quia objurgationes non raro incidunt ad-
 modum necessariae. 6. Quia ira dicitur eos fortitudinis, qua homo
 acuitur ad propulsanda mala. 7. Quia injuriam propulsare licitum
 est, Ergo & irasci. 8. Gravissima poena afficiuntur, qui ob justas
 causas non irascuntur, exemplo *Eli, &c.*

Interim pro quaestione decisione distinguendum. 1. Inter iram
 temerariam, quæ ex solo ultionis appetitu dimanat, qualis fuit
Caini contra Abel. Genes. 4. *Balac contra Balaam. Numer. 24. 10.*
Abner adversus Isboseth. 2 Sam. 3. Et inter justam indignationem
 adversus impietatem & malitiam hominum. Illam damnatam,
 hanc demandatam nobis esse dicimus. 2. Inter moderatam & im-
 moderatam iram. 3. Inter vitium & naturam. Irasci licitum est vi-
 tium, sed non naturæ. Odio habeatur peccatum, sed non persona
 primario. 4. Inter præcipitantiam & legitimum ultionis modum,
 præcipitantia enim omnis criminosa est. In modo legitimæ vin-
 dictæ respiciendum semper est ad honestatem & circumstantias
 personarum, rerum, temporis, ac loci.

Quæst. III. *Vtrum vindicare injuriam sit licitum?*

Negari hoc posse videtur his argumentis. 1. Quia scriptura sacra
 non tantum prohibet, ne vindicemus injurias illatas; sed etiam
 præcipit, ut maledicentibus benedicamus & malefacientibus be-
 neficiamus, *Levit. 19. Prov. 24. Ecclesiast. 28. Matth. 5. Rom. 12. &c.*
 2. Quia vindicatio injuriæ cum mansuetudine pugnat. Mansuetus
 enim non ad ulciscendum sed potius ad ignoscendum est propen-
 sus, *Aristot. 4. Eth. xi.* 3. Quia muliebri est de vindicta cogitare.
 Unde *Juvenalis Satyr. 3.*

Vindicta

Non magis gaudet quam femina.

H 2

Con-

Contra, licitum esse vindicare injuriam, probatur his argumentis. 1. Ab exemplo Dei. Quia Deus ipse punit injurias. 2. à mandato Dei. Quia passim in sacris injurias per magistratum punire jubet. 3. Quia turpe est calumnias, famam & existimationem nostram lædentes perferre. Ergò contra honestum erit, honorem ab injuriis vindicare. Interim tamen distinguendum omninò est inter privatam & publicam vindictam: Hanc licitam & concessam esse dicimus; illam verò illicitam & minimè concessam. Et quamvis *Timplerus lib. Eth. c. 2. q. 6.* distinctionem hanc penitus approbatam & receptam conetur rejicere, cum asserat neque privatam vindictam in toto esse illicitam, propterea quod sequeretur patrem familias non debere castigare liberos suos vel alios in re familiari peccantes: Neque publicam vindictam in toto esse licitam, propterea, quod sequeretur Magistratum non posse peccare in puniendis peccatis, & ex eo fundamento distinguendum esse putat, inter vindictam moderatam seu justam, & inter immoderatam sive injustam. Illam homini licitam esse ait, sive persona fuerit publica sive privata: hanc verò indifferenter illicitam esse. Verùm usum nostræ distinctionis seu requisita *Timpl.* non animadvertit, quæ si animadvertisset. Liquidò ipsi constare potuisset, per publicam vindictam nos non immoderatam & injustam, quâ Magistratus, parentes ac Domini modum in puniendis sceleribus & vindicandis injuriis excedant, sed tantùm moderatam ac justam intelligi. Non enim ad privatam sed publicam vindictam pertinet, si parentes liberos, Domini suos servos secundum pietatem moderatè puniant. Retinendam ergo putamus distinctionem superius positam, qua distinximus inter vindictam privatam & publicam. Cui porro & hanc addimus: inter defensionem & vindictam privatam. Et sic ad argumenta opposita. Resp. ea, de defensione legitima & vindicta publica non intelligenda, sed tantùm de tutela culpata & vindicta privata exaudienda esse.

QUÆST. IV. *Verum in conviviiis irascendum?*

Invenies non rarò, dum alii in conviviiis frontem exporrigunt, delitiis animum pascunt, qui subito tonitrua vibrant, gravitatem personæ suæ exaggerant, & uno atque altero verbo se læsos esse clamitant. Hinc subito fremunt & ingentem ex naribus ignem spirant. Quales morosos homines Corydones & rigidos Catones ex conviviiis & honestis congressionibus planè ejiciendos putamus. Non enim convivium ad corpus alendum; sed ad animum potissimum spectant, & ratione societatis civilis feliciter exercendæ institu-

instituta & introducta, *Bod. lib. 3. de Repub. c. 7. n. 328. & seqq.* Hinc Cretenses in publicis locis epulabantur, ut mutuam benevolentiam palam testarentur, *Arist. in polit.* Idem asserit de Pythagoreis, *Jamblich. in vita Pythag.*

Quamobrem, cum turpius ejiciatur, quam non admittatur hospes, melius est istiusmodi crassioris constitutionis homines ad honestos conventus nonmittere. Ut enim modicum fermentum totam massam corripit; ita istiusmodi hirtus cerdo totum convivium perturbat. Et ut is qui picem attingit, ab ea inquinatur: Sic qui resistit ejusmodi moroso, ab eo commaculatur. *Vnde proverbium: Vinco vel vincor, semper ego immaculor.*

QUÆST. V. *Vtrum omnibus rebus indifferenter propter damnum datum irascendum?*

Si rerum gestarum scriptores introspicias, invenies ejus amarulentiae, quosdam fuisse, ut in res etiam inanimitas eandem extenderint. Sic de Xerxe legitur, quod mare flagellari jusserit *Herod. lib. 7.* Sic Pheron Ægyptiorum Rex in medios fluminis toragines spiculum contorsit, *Herod. l. 2.* Sic invenies, qui brutis animalibus non tantum irascuntur, verum etiam ultionem ab iis sumunt & ad mortem damnant. Verum quid aliud faciunt, quam quod se deridendos sapientibus propinent. Ubi enim nulla ratio, ibi neque jus neque injuria, neque delictum, *§. pauperies Inst. Si quadrupes pauperiem l. 1. ff. eod.* Relinquitur ergo solis hominibus irascendum esse. In iis enim est ratio & spes de conversione in melius. Non ergo recipimus legem Draconis (cujus referente Crugero meminit *Demosth. in orat. ad Aristocr.*) quæ in res etiam inanimatas animadverti jubet. Neque nobis obstat, quod vulgo objici solet *ex ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Nam leges non volunt, ut animal, quod nocuit, puniatur, sed ut eo nomine, Dominus animalis actione noxali propter pauperiem factam conveniri possit, ut videlicet læso vel damnum datum resarciat, vel illud animal noxæ cedat.

QUÆST. VI. *Vtrum is, qui calore iracundia alteri injuriam vel damnum infert, sit excusabilis?*

Affirmatur hoc à nonnullis qui his imprimis moventur rationibus. 1. Quia quæ ab irato dicta vel facta sunt, perinde habentur ac si ab insano profecta sint. Unde *Stobæus serm. 68.* Insanimus omnes, cum irascimur. Et *Horat. lib. 1. Epist.* Ira furor brevis est. Unde *Cato* iratum ab insano nulla alia re differre dixit, quam temporis mora. Ut enim fumus oculos hebetat ne videri queant ea, quæ

ante pedes sunt: sic oborta ira rationi caligo obducitur, ut se ipsam cogitatione nulla agnoscere possit. 2. Quia quicquid calore iracundiae vel fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si ex perseverantia apparuit iudicium animi fuisse. *Vt est expressus textus in l. 48. Quicquid calore. ff. de R. L. Cuius exemplum Iustus Paulus etiam ponit, in l. 3. ff. de divor. in l. si filiam, 19. C. de inofficio testam.* 3. Quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *ut est tex. l. non omnis remuneratio. ff. si certum petat.* Atqui notum est, iniuriam absque animo injurandi non committi, *prout est text. in l. illud. ff. de injur.*

Verum contraria sententia est verior, & juri & aequitati magis consentanea. 1. Qui si calor iracundiae in delictis excusationem praebere, raro delinquentes punirentur. Nam plerumque homicidium & alia delicta committentur. 2. Et quod calor iracundiae delinquentem non excuset, aperte probatur, *ex l. si non convicii. 5. C. de injuriis & l. lex Julia. 7. §. ult. de l. Julia. repetund.* 3. Quia Reipub. interest, ne maleficia maneant impunita, *lita vulneratus, 5. §. 2. ff. Ad L. Aquil.* Et poenas ob maleficia solvi, vigor publicae disciplinae suadet, *l. si a 20. 70. §. ult. ff. de fidejuss. c. quali 4. in fin. 23. ubi dicitur: Sanctissimum esse officium, si fiat justitia de criminosis, nec posse pinguiorem vindictam Deo mastrari, quam hominem sceleratum.* Interim tamen omnino distinguendum esse puto: **Utrum justus dolor illum iracundiae calorem excusserit? utrum ex levissima aliqua causa vel naturae vitio existat?** Nam si calore iracundiae ex justo dolore orto, homicidium vel aliud delictum sit admissum, mitiori poenam plectendum esse putamus, quemadmodum Papinianus, *in l. si adulterium 38. §. Imperator, ff. ad l. Jul. de adult. demonstrat.* ubi dicit difficilimum esse justum animi dolorem temperare. Quod si verò quispiam leviori aliqua causa vel vitio naturae commotus homicidium vel delictum aliud committeret, ordinariam poenam non effugit, quamvis ira adhuc fervescere delictum comisset. Huc facit *Ordinat. Crimin. Carol. V. artic. 37. 19.* **Der einen Todschlag auß Sâheit vnd Zorn gethan.** Ad argumenta in contrarium opposita quod attinet. Resp. ad 1. Negando consequent. Non enim valet, iratus ab infano nihil differt, nisi temporis mora. Ergo in delictis est excusandus. Sibi enim istiusmodi iracundus homo imputare debet, & non alii, quod iracundiam suam frenare & moderari non possit. Alterius enim naturae vitium alteri non debet esse nocumento, vel incommodo. Duplex ergo ratione culpandus est talis iracundus, uno modo propter iram immo-

immoderatam & injustam: altero modo, propter delictum admiffum. Ad 2. Resp. l. 48. ff. de R. I. non valere in delictis, uti id ipsum, l. si non convitii, C. de injuriis & aliis fundamentis est probatum, sed in contractibus locum habere, ut id ipsum probat, Bald. in d. l. non convitii, n. 2. C. de injuriis. Plura hac de quaestione lege apud Decium & Philip. Matth. ad l. 48. de R. I.

QUÆST. VII. *Vtrum Clementia & Misericordia differant à mansuetudine?*

Seveca in lib. de Clementia, distinguendum esse putat inter mansuetudinem & clementiam hac ratione, quod clementia sit superioris erga inferiorem in constituendis & mitigandis pœnis: mansuetudo verò virtus in ira moderanda occupata. Hinc ita argumentantur: Quæcunque ab invicem & objectis & proprietatibus differunt: illa etiam inter se differunt: Atqui clementia à mansuetudine differt objecto & proprietate, Ergo revera differunt. Minorem hac ratione probant. Nam clementiæ objectum est pœna & proprietas ejus diminuere pœnam. Objectum verò mansuetudinis est ira & proprietas ejus iram mitigare. Verum quamvis communi usu loquendi distinctionis gratiâ differant, interim usu artis nullo modo differunt, sed pro synonymis usurpantur, conveniunt enim & definitione & objecto & fine. Ag argumentum oppositum quod attinet. Resp. distinguendum inter objectum mansuetudinis internum & externum. Quoad internum objectum, nempe iram, mansuetudo dicitur. Quoad externum, nempe pœnam, distinctionis gratiâ, Clementia nominatur, Cas. Spec. mor. quest. lib. 4. c. 5. p. 276. Misericordiam quod attinet modo sumitur pro specie affectus naturalis, & sic est tristitia propter res adversas alterius suscepta, modo verò pro promptitudinæ succurrendi miseris pauperibus, & sic potius est liberalitatis seu benignitatis, quàm mansuetudinis, Templ. in Eth. lib. 3. c. 1. q. 9.

QUÆST. IIX. *Vtrum crudelitas sit deterius vitium quàm indulgentia?*

Indulgentiam vitium esse deterius crudelitate, probatur. Quia omnis indulgentia nimiam hominum securitatem & motum dissolutionem parit. Est enim aperta via ad perniciem civitatis & Reipubl. Fenestram & portas omnis nequitiae & improbitatis magistratus ille aperit, qui nihil prohibet, nihil punit, sed ex indulgentia omnia permittit. Unde verò & eleganter Fronto consul ad populū dixit: Malum esse sub Magistratu tali vivere, qui nihil, pessimum, verò sub eo, quia omnia permetteret. 2. Quia delicta manent

sic impunita, probi ac justī deprimuntur & scelerati ac injusti extolluntur. Contrā, sævitiā magis nocere Reipub. & ob id deteriorius vitium esse ipsa indulgentia probatur his argumentis. 1. Quia frequentius peccant homines per crudelitatem, quā per indulgentiam. 2. Quia indulgentia magis est accommodata ad vitæ societatem, quā crudelitas. Siquidem cum crudeli nemo facile conversatur, cum leni verò quilibet libenter communicat. 3. Quia crudelitas est remotior à mansuetudine, quā indulgentia, &c. Verum sciendum, utrumque vitium esse deterrimum Reipubl. Ut enim nimia severitas est tæda accensa ad Reipub. incendium: ita lenitudo est aperta via ad perniciem. Et sicuti nimia severitate periclitatur civitas: ita nimia lenitudine omnino dissolvitur. Cum igitur utrumque vitium corruptelam morum, dissolutionem animorum & interitum Reipubl. importet, vix dici potest, utrum eorum in gradu summo sit deterius. Interim tamen cum aliquid certi statuendum sit, magis facimus cum indulgentia quā crudelitate. Nam incendium illud Reipub. ex crudelitate ortum longè difficilius extinguitur, quā quod ex nimia indulgentia ortum traxit. Uti id ipsum experientia satis superque evincit. Sit ergo lenitas cum severitate conjuncta & severitas virgula lenitatis temperata. Nam ut rosa non potest esse absque spicis: sic Respub. non potest florere absque severitate. Ense enim pars putrida resecanda est, ne sincera pars corporis in periculum & perniciem trahatur. Hoc enim modo impii supplicii metu coercentur, & probi ab injuria impiorum defenduntur.

DISPUTATIO XII.

DE VIRTUTIBUS HOMILETICIS:

Comitate, Urbanitate, & Veracitate,

Resp. *Henrico von Weiber / Nobil. Boruss.*

T H E S I S I.

Sequuntur jam virtutes homileticæ in specie sic dictæ, quarum necessitatem & utilitatem si scire gestias, omnes omninò homines in toto terrarum orbe aspice, invenies nullum omninò absque his honestè, tranquillè & commode posse victitare. Hæ enim sunt, quæ actus politicæ conversationis dirigunt, morib. concinnis & politis, sine quibus omnia nostra studia sunt quasi ludibria, homines informant, & à belluina feritate segregant. Ne opus habeamus cum Diogene extra mundi consortium in dolio latitare, vel cum Ganymede ad Jovis coenam rapî, aut Elysios campos cum

Antea

Aeneâ deduci; sed ut possimus cum hominibus sociari, & cum iis decorè conversari hæc virtutes homileticæ à conversatione sic dictæ, ac nominatæ sunt.

2. Consistit autem Civilis conversatio in duobus. 1. In directione verborum nostrorum. 2. In directione nostrarum actionum. In utroque attendendum est ad honestatem & suavitatem, hoc est, ut & verba nostra in civili conversatione sint honesta & iucunda, & mores in actionibus nostris sint honesti & suaves.

3. Virtutes homileticæ tres sunt: *Comitas*, *Urbanitas*, *Veracitas*. Quarum duæ priores & honestatem & iucunditatem in actionibus seu moribus propositam sibi habent: Posterior verò propositam sibi habet in sermone & honestatem & veritatem.

4. Actio autem nostra in civili conversatione est duplex: *Seria* & *jocosa*. Circa *seriam* occupata est *Comitas*: Circa *jocosam* verò *Urbanitas*.

5. *Comitas*, est virtus moralis, quæ in sermonibus & actionibus quotidianis eam servat mediocritatem, ne quis præter meritum offendatur, sed potius oblectat eos, cum quibus conversatur, *Gol. lib. 4. Ethic. cap. 6.* Vel est virtus in conversatione *seria* & *honestâ* oblectando mediocritatem servans, *Donald. Synop. Eth. lib. 3. c. 9.* Vel est dulcis *Musarum* q. *Philomela*, cujus voce omnes sine offensione capiuntur, *Cas. Specul. moral. lib. 4. c. 6.*

6. Variis hæc virtus nominibus indigitatur, vocatur enim *affabilitas*, *humanitas*, *popularitas*, *facilitas*, &c. *Arist.* eandem vocat *amicitiam*, verum id facit per metonymiam efficientis: quia *amicitiam* conciliat. Unde *Cic. 2. off. ait*: difficile dictu est, quantopere conciliet homines *comitas* *affabilitas*que sermonis.

7. Objectum *Comitatis* duplex est: *Internum* & *externum*. *Internum* sunt voluptates & dolores animi, qui ex rebus seriis in quotidiana hominum conversatione existunt. *Externum* sunt *seria negotia* in quotidiana conversatione ita pertractata, ut diligentem rationem habeat & honestatis & utilitatis & personarum. Nam quantum per honestatem & utilitatem fieri potest, vir *comis* neminem debet offendere, sed potius oblectare. Verum si non potest honestè & utiliter omnia facta & dicta ejus, quo cum conversatur, approbare, cogitur cum amicè & modestè admonere, neque hæc in parte ejus offensionem nimium metuere, sed magis honestatem, & utilitatem, quæ subsequutura est, spectare. Sic cogitur habere rationem personarum. Nam ut homo est, inquit *Terent.*, ita morem geras. Singulis ergo id tribuat, quod ipsis optimo jure meritoque competit.

8. Extrema comitatis duo sunt. Unum in excessu, & dicitur adulatio. Alterum in defectu & dicitur morositas.

9. Adulatio sive quod idem est, assentatio seu blanditia, est vitium, quo iis cum quibus conversamur præter modum & honestatem, *tam in dictis, quam in factis nostris*, admodum placere studemus.

10. In factis conspicitur adulatio. Si quis in gratiam alicujus semel agnitam veritatem deserat: contra jus & justitiam, humanitatem & æquitatem alicui obediat: Mulierem diversæ religionis in matrimonium ducat: religionem adulterinam simulet, &c.

11. In verbis conspicitur adulatio. Si quis ad morem Gnatho-rii Terentiani alterum in faciem laudet, & majora, quam res est, de quopiam prædicet.

12. Morositas sive rusticitas est vitium, quo præter modum & rationem nemini, ne in honestis quidem rebus & actionibus cupimus placere, sed tam moribus quam verbis aliorum dictis & factis resistimus. Quod vitium conspicitur in iis hominibus, qui ab honestorum virorum congressibus & conversatione abhorrent, facta & dicta eorundem satyricè carpunt improbant & sugillant, & sic sugillando inimicitias ferunt, & satas, quamvis possent, non tamen componunt: aliis de Repub. bene merentibus facillimè succensent, eosque quantum possunt ab officiis removeri curant, & sic sui similes, austeros, morosos, sub Saturno natos, prudentiâ, rerumque usu ac peritiâ destitutos surrogant.

13. *Urbanitas* est virtus in ludis & jocis, facetiis seu salibus, debitam mediocritatem, ut ratio habeatur & honestatis & decori, ac vitetur aliorum offensio, fervans. Vocatur aliis festivitas seu morum flexibilitas. Nam qui hac virtute sunt præditi, facile possunt suos mores & actiones ad placitum aliorum flectere.

14. Objectum Urbanitatis sunt ludi, joci, facetiæ ac sales, vel omnia, quæ animi recreandi gratia aguntur vel dicuntur.

15. Conspicitur ergo Urbanitas non tantum *in actionibus*, verum etiam *in sermonibus*. In actionibus: Si ludos & exercitia delectabilia & honesta oblectandi vel recreandi animi gratiâ instituat: in stadio contendat: hastam vibret: musicam tam vocalem quam instrumentalem exercent, &c. In sermonibus, si videlicet jocosas confabulationes, facetias & sales proferat ac serat,

16. Finis hujus virtutis est recreatio. Hunc ergo in finem recreationes & oblectamenta, facetiæ & sales institui & proponi debent, ut eos, quibus cum conversariis, non offendas, sed recrees & exhibeas.

17. *Extrema Urbanitatis sunt duo. Unum in excessu & dicitur scurrilitas. Alterum in defectu & dicitur rusticitas.*

18. *Scurrilitas est vitium, quo in ludendo & jocando modum honestatis & decoris excedimus, vel si ludos jocosque non in oblectationem, sed potius offensionem quorundam instituimus.*

19. *Conspicitur hoc vitium quadrifariam. 1. Si personam, cum qua jocamur, vel cujus contemplatione oblectamenta instituimus, non respicimus. Optat enim Urbanitas æqualitatem & ordinis & ætatis & ingeniorum. Ordinis, & sic persona est vel superior vel inferior. Cum superiore minus tutum est jociari. Cum inferiore minus est decorum. Nam sic auctoritatem suam quis facile prostituit. Item videndum est cujus sit sexus. Non coram fœmineo sexu obscœnos ludos & jocos velle proferre, esset indecorum & inhonestum. Ætatis: Sic juvenis juvenem & senex senem oblectet. Ingeniorum: Sic doctus cum docto, moratus cum morato ludat & jocetur. Nam miles cum clerico & moratus cum moroso & rustico difficilius jocatur.*

20. *Pro Secundo respicere etiam urbanus debet ad locum convenientem. Non enim quivis locus joci aptus est. Nam sunt, qui feriis duntaxat negotiis destinati sunt, ut sunt templa, Collegia, Consistoria, Curia, &c. Sunt qui tristibus ac mœstis actionibus tantum inserviunt, ut sunt, cœmiteria, sepulchra, &c. Sunt qui executionibus justitiæ addicti, ut sunt suppliciorum loca. Rectius ergo loca temporis fallendo & recreationi competentia, ut sunt cœnacula, triclinia & similia, ludis, joci & salibus sunt replenda.*

21. *Excedunt modum in jocando, tertio illi, qui temporis rationem non habent. Non enim quodvis tempus joci convenit, sed illud saltem, quod vel singulariter destinatum est ad sales & recreationes, vel aliis negotiis minime est commodum, ut est honestis conviviis, deambulationibus & sumptioni ciborum, &c. destinatum.*

22. *Peccant quarto ii, qui ad honestatem non respiciunt, & more parasitorum, gulæ, ventri & opibus inserviunt. Et sic proprii commodi & quæstus gratia risum aliis commovere student, vel obscœna cum aliorum offendiculo tractant.*

23. *Rusticitas est vitium in defectu, quo ab omni festivitate sermonum & actionum ita abhorrent homines, ut nec ipsi jocos proferre nec aliorum jocos perferre valeant. Quod vitium perspicuum est in iis, qui in congressionibus honestis & jucundis sedens instar lapidis ac trunci, nihil loquuntur, & aliorum joci & salibus*

bus

bus auditis statim irascuntur, prorumpunt in calumnias, movent facile rixas, & interdum ad verbera descendunt, & omnia instar Davi Terentiani turbant. Quales, cum sint ad jucundas conversationes plane inepti, melius est, ad convivia & congressus hominum ne invites, sed tanquam insulsos & rigidos Catones contempnas & domi relinquant.

24. Veracitas, quæ aliàs integritas, candor, sinceritas appellatur, non sumitur hic *theoricè*, sed *practicè*, & quidem non *improprie* pro fide in pactis servanda, sed *proprie* pro habitu seu virtute dicendi verum.

25. Distinguitur à Veritate. 1. Veritas inest verbis: Veracitas menti. 2. Veritas est actus unicus: Veracitas est habitus. 3. Veritas est actus secundus: Veracitas est primus.

26. Non ergo veracitas quodcunque veriloquium est. Id enim in mendacissimum quemque cadere potest; Sed est habitus talis, quo animus ad loquendum vera quasi est adstrictus, ita ut vera loqui homini sit suavissimum, & contra falsa loqui molestissimum ac difficilissimum.

27. Hinc duplex resultat veracitas. Una *verborum* & altera *rerum*. Verborum, cum verba nostra per omnia correspondent rebus & intentioni mentis nostræ. Rerum, cum res ipsa verbis concordat. Illud à nobis fit, cum rem, quatenus vel in rei veritate sese habet, vel ut nobis vera est, narramus vel proponimus. Hoc fit, quando effectu ea præstamus, quæ polliciti sumus.

28. Definitur. Quod sit virtus moralis, per quam, quod in qualibet re verum nobis est, solius virtutis amore simpliciter & aperte fatemur.

29. Objectum veracitatis externum est *Sermo*. Sermonem enim, quatenus veritatem intendit, reformat veracitas.

30. Officium proinde veracis hominis est, ut in dictis & factis suis semper sibi sit similis & perpetuò constans, nihil agat in gratiam aliorum, nec privati sui commodi gratia, sed solius veritatis amore, nihil addendo, nihil etiam detrahendo.

31. Hinc oriuntur veracitatis extrema duo: Unum in excessu & vocatur arrogantia: Alterum in defectu & appellatur dissimulatio. Quorum commune genus est mentiri.

32. Mentiri est vitium quò in verbis, gestibus & actionibus nostris significamus contrarium illi, quod est in mente, in voluntate & affectu nostro, tunc, quando obligamur, illud significare.

33. Unde discrimen inter mentiri & mendacium dicere. Mentiri

causa

enim, uti dictum, est contra id, quod est in mente, voluntate & affectu nostro, proferre: mendacium à mēda, hoc est, errore descendit, quod propriè is dicit, non qui alios fallere cupit, sed qui ipse fallitur, cum credat se verum dicere. Verùm populariter loquendo ut plurimum confunduntur.

34. Arrogantia, quæ aliàs jactantia, vanitas & ostentatio dicitur, est mendacium in excessu, quando ea, quæ non habemus, vel longè plura & majora quàm habemus nobis arrogamus. Quod vitium conspicuum est in superbis, gloriosis & fastuosis hominibus, qui ut plurimum plura & majora sibi arrogant & vendicant, ut vel majorem honorem, laudem, gloriam vel lucrum sive commodum consequantur.

35. Hinc resultat, jactatores esse duplicis generis. Quidam enim honorem, laudem & gloriam sibi habent propositam. Quidam verò turpe lucrum seu commodum.

36. Sequitur exinde viri veracis non esse sua nimium jactare, sed potius, quod modestiam arguit, extenuare.

37. Dissimulatio est mendacium in defectu, quando ea, quæ nobis meritò & optimo jure competunt, denegamus & contraria prorsus fingimus.

38. Dissimulatores sunt duplicis generis. Aut habent sibi propositam modestiam, aut fraudem & serpentinam hypocrisin.

39. Prioris generis censentur esse illi, qui sua extenuant & negant, in eum tantummodo finem, ne in arrogantia suspicionem incurrant, sed modestiæ laudem consequantur, quorum interiora si respicias, longè aliud sentiunt & captant.

40. Posterioris generis sunt illi, qui sua in eum finem extenuant & contraria fingunt, ut eò melius & tutius proximum decipiant, & illud, quod ex imis visceribus captant, consequantur, &c.

QUÆST. I. *Utrum liceat conversari cum infidelibus?*

Negativam quæstionis qui tuentur, his se muniunt argumentis.

1. Nituntur auctoritate & mandato divino, 1. Cor. 6. v. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Joh. 2. v. 20. nec ave dixeritis, Tit. 3. v. 10. Hæreticum devita, Eccles. 13. v. 1. Picem qui tetigerit, &c. 2. Nituntur exemplis sacrae Scripturae de Assa Rege Judæorum, quæ contra Baasam Regem Israëlitarum cum Benhadad Rege Syriæ fecit, & ob id ab Hannani graviter increpatus, quo nomine etiam ipsi bella denunciantur & morbo pedum percutitur, 1. Reg. 15. v. 18. Item de Josaphato, 1. Reg. 22. v. 4. de Amasia Rege Judæ, 2. Paralip. 23.

lip. 25. v. 5. de Ahas, 2. Reg. 16. v. 7. 3. Nituntur ratione. Quod mens pia facile corrumpatur & in perniciem salutis æternæ trahatur, si videlicet levicula collusionone cum infidelibus jugum trahat.

Verum quod liceat conversari cum infidelibus probatur. 1. Ab exemplis sacrę Scripturę, *Gen. 12.* Abrahamus tempore famis commorabatur apud Ægyptios. Isaacus cum Philistæis familiariter vixit, *Genes. 26.* Jacobus cum focero suo Labano idololatra per multos annos una in domo vitam traduxit & tandem cum ipso fœdus pepigit, *Genes. 31. vers. 44.* Sic Christus ipse cum Pharisæis conversabatur & sæpè apud Samaritanos aliosque infideles divertebat. Id quod Apostoli etiam fecerunt. 2. à præcepto Dei, *Rom. 12. v. 18. Hebr. 12. v. 14.*

Pro quæstionis decisione distinguendum esse puto inter externam conversationem politicam, & inter spiritualem seu Ecclesiasticam. Conversationem Politicam quod attinet, cum illa potissimum respiciat negotiationes, contractus, obligationes & commercia, quæ ut plurimum sunt juris gentium, dubium nullum est, quin sic fidelis cum infideli conversari possit. Et sic de conversatione *ζαμικη* expressum textum habemus, *2. Corinth. 7. v. 12.* Ubi Apostolus bis, & quidem imperativè repetit: Ne dimittito fidelis infidelem. De *ζαμικη* societate extat generale præceptum in decalogo: Honora Patrem, &c. De *δευτικη* conversatione habemus exemplum in Jacobo, *Gen. 29. v. 18.* & in *1. Tim. 6. v. 1.* De *ξενικη* conversatione est exemplum Salvatoris nostri, *Luc. 7. v. 36. Luc. 12. v. 37. Luc. 14. v. 1.* Et hoc etiam volunt argumenta pro affirmativa quæstionis adducta. Quod verò attinet conversationem Ecclesiasticam seu spiritualem, qua omnes ferè pii Christiani unitate fidei & spiritus copulantur, tantum abest, ut possit fidelis cum infideli licitè conversari. Ubi enim non est fundamentum spiritualis conversationis, illi non possunt spiritualiter conversari & unitate fidei & spiritus copulari. Id quod probant argumenta pro quæstionis negativa allata. Vide *Meisn. in Sobr. Philos. in Practic. q. de Amicit. Civil. Dithm. in syst. Eth. 3. Exerc. 4. q. 1.*

QUÆST. II. *Utrum Parentes bonâ conscientia liberis suos ad Scholas Iesuitarum ablegare possint?*

Id ipsum à parentibus admitti videmus sæpissimè. Verum quàm turpiter & periculosè agant, ipsorum sæpius conscientia & experientia testatur. Nam bonâ conscientia id ipsum non fieri posse, probamus his fundamentis. 1. Quia parentis officium est educare

suos

suos liberos in Domino, *Ephes. 6.* Atqui fieri non potest, quin rudiores illi superstitionis illis ritibus in doctrina & moribus graviter offendantur. 2. Quia omnem offensionem & seductionem parentes debent vitare, *Matth. 8.* Atqui dum liberos in Scholas hæreticorum mittunt, seductionis occasionem liberis præbent. Deinde experientia satis superque confirmat, rudiores sic paulatim infici, & ad doctrinam hæreticorum assuefieri. Semina enim hæreses, si semel in tenera juventute radices egerint, vix extirpari possunt. Nam quo semel est imbuta recens servabit odorem, testa diu. Cujus rei exemplum si cupias, Rachaëlem, *Genes. 31. v. 19.* intuere, quæ licet à Jacobo marito suo fideliter per aliquot annos informata, nihilominus tamen idola patris abstulit, innuens, se quasdam adhuc antiquæ superstitionis reliquias retinuisse.

QUÆST. III. *Vtrum fidelis hæreticorum superstitionibus interesse possit?*

Et quamvis quæstionis hujus negativam defendat & acriter propugnet *Petrus Martyr, Clas. L. C. 10.* Interim tamen cum frequentandi ritus superstitionis, infidelium diversæ causæ dari possint, non puto simpliciter & ἀπλῶς illicitum sed ita, ne ipse qui frequentat istiusmodi ritus superstitionis, seducatur, in perniciem salutis suæ trahatur, ne scandalum præbeat infirmis & præfractos in superstitione confirmet. Extra enim hos & similes casus non puto esse illicitum, utpote si quis ratione officii sui vel ex alia urgente necessitate id fecerit. Exemplum habemus in Naamano, qui Rege Syriæ in cultibus Ethnicis inservivit, *2. Reg. 5. v. 18.* Qua ratione Elector Saxonix ab Orthodoxis Theologis excusatus, quod Anno Christi 1530. Carolo V. Imp. missam audituro gladium prætulit & ritibus superstitionis adstiterit. Et sic urgente necessitate multi sancti viri ritibus superstitionis interfuerunt, quemadmodum exempla habemus de Zacharia, Josepho, Jacobo, de ipso Salvatore nostro, nec non de discipulis Christi. Quemadmodum & hodie passim inveniuntur, qui inevitabili necessitate superstitionis ritibus nolentes volentes interesse debent. Si verò quispiam ex levitate, temeritate, hypocrisi, id ipsum tentet, aliud sentiendum & statuumendum puto, &c.

QUÆST. IV. *Vtrum à viro bono & honesto veritas interdum occultari possit?*

De hac quæstione acriter semper disputatum & etiamnum disputatur. Et quia hodie comparatum invenimus, ut nisi aliud
ore

ore proponas & aliud sentias & agas, mel in ore, fel in corde habeas, & secundum tritum & vulgare proverbium: In verbis quidvis, in rebus nihil habebis: Vitam instituas, pro Politico haberi non possis.

Argumenta hujus quaestionis pro & contra introducā, & in quantum occultatio sit prohibita, & in quantum permessa, breviter aperiam.

Veritatem non posse occultari, probatur his fundamentis. 1. Exstat expressum Dei mandatum in scriptura, *Zachar. 8. v. 19.* Veritatem & pacem diligite, *Matth. 5. v. 37.* Sermo vester sit est, &c. *Ephes. 4. v. 25.* deposito omni mendacio, &c. 2. Et quia omne mendacium formaliter est vitiosum & culpandum. Et quod formaliter & per se vitiosum est, non potest ulla circumstantia extrinseca mutari & fieri virtuosum ac honestum. Cum externa rerum essentias non mutant, *Arist. lib. 4. Eth. 7. §.* Quia id ipsum postulat lex naturae, quae omnibus hominibus insita & insculpta, ut quahs est animus, talia etiam sint verba nostra. Oportet enim esse convenientiam inter animum & sermonem nostrum.

Contra quod interdum veritas à viro bono & honesto possit occultari, probatur exemplis sacrae Scripturae. De Abrahamo extat exemplum, *Genes. 20. v. 21.* de Isaac, *Genes. 26. v. 7.* Rebecca, *c. 27. v. 5. & seqq.* Josepho, *Genes. 44. v. 1. & 2.* Obstetrices piæ. *Exod. 1. v. 18. & 19.* Rahab. *Ios. 2. v. 4.* Michol. *Sam. 19. vers. 16. & 17.* David. *1. Sam. 20. v. 1.* Elisæus. *2. Reg. 6. v. 18. & 16.* Jehu. *2. Reg. 10. v. 18.* Judith. *Judith. 10. v. 11.* Ut ergo habeamus, quo mens nostra conquiescat pro decisione quaestionis distingui, putamus inter veritatem politicam & religiosam seu fidem nostram concernentem.

Quod attinet fidei seu religionis nostrae veritatem omnes & singuli, absque respectu personarum obstricti & obligati sumus, si videlicet à Magistratu, à nobis confessio fidei legitime petatur, eandem non occultare, sed aperte, categoricè & constanter profiteri, *Matth. 10. v. 32.* Omnis qui me confitebitur, & in *1. Pet. Epist. 3. v. 15.* Dominum Christum sanctificate, &c.

Interim tamen cautos hac in parte Christianos esse oportet. Non enim coguntur ultrò caput periculis objicere & se Christianos profiteri, nisi à Magistratu & quidem legitime confessio fidei requiratur. Nam *1. Petr. 3. v. 15.* Petenti coguntur respondere. Qui textus est intelligendus de Magistratu, non verò de quovis privato, qui potestatem illam quaerendi de confessione fidei non habet. Ut ergo omnis confessionem suae fidei edat, necessum est & Magistra-

tus

tus legitimè, hoc est, coram tribunal, confessionem fidei petat. Nam Senatori in via vel itinere de confessione fidei quærenti, non cogitur quis confessionem fidei suæ edere. Oportet enim columbinam simplicitatem quæ veritas est, conjunctam esse cum serpentina calliditate, quæ prudentia dicitur, *Matth. 10.*

Quod verò attinet veritatem Politicam, considerandum primo est, utrum quis ad eam dicendam alicui est obligatus, vel non obligatus. Quod si quispiam alicui obligatus, ut sunt Consilarii vel officarii ipsi principi: Subditi Magistratui: liberi parentibus: discipuli præceptoribus, &c. Tunc eam occultare non debent. Idem dicendum, si quis ad silentium & taciturnitatem obligatus, tunc alii petenti veritatem, propalare eandem non debet. Sed melius est, pro vero falsum dicat. Nisi esset contra Dei mandatum & utilitatem Reipub. tunc enim magis obediendum Deo, quam hominibus. Quod si verò quispiam nullo modo neque ad silentium neque ad veritatem dicendam obligatus, tunc videndum omninò est, utrum quærendi sit commodo, nec proximo detrimento. Quod si ergò animadvertit, illam rem quærenti esse commodo nec proximo detrimento, veritatem aperire cogitur. Secus si quispiam ex levitate & curiositate de rebus ad se non pertinentibus quæreret, meritò debitam mercedem falsitatis pro veritate reportat. Ita si eadem res quærenti nec commodo sed potius proximo detrimento futura, occultare veritatem & falsitatem pro veritate proponere quis potest. Exemplum habemus in *Ionatha*, qui Sauli Parenti suo de Davide quærenti verum non revelavit, sed falsum locum, ubi David non erat, parenti suo nominavit, *1. Reg. 20. v. 28. 29.* Plura de hac quæstione vide apud *Meisn. in Sobr. Philos. in quæst. pract. sect. 2. q. 6.* & apud *Matth. Ditmars. in Syst. Ethic. lib. 3. pag. 240.*

QUÆST. V. *Vtrum omne mendacium sit prohibitum?*

Pro decisione hujus quæstionis notanda est distinctio, quam adfert *Lombard. l. 3. sentent. dist. 38.* inter officiosum, jocosum & perniciosum mendacium. *Officiosum* mendacium quod attinet, cum non suscipiatur ex ingenii, vel cordis pravitate, sed potius propter honorem Dei, proximi utilitatem & pacem seu tranquillitatem inter homines servandam, tum propter finem, qui actionem omnem determinat, tum propter oppositam inconvenientiam, quæ ex manifestatione veri subsequutura est, tum quia non est intrinsecè malum, sed habet optimam rationem, licitum esse dicimus. Exemplum istius mendacii habeamus in *Nathan*, qui Davi-

dem

dem absque commento ad peccati agnitionem deducere non potuit, 2. Sam. 12. Sic Samuel uncturus Davidem, ne Saul rescisceret, simulat se sacrificandi gratiâ ire in Bethlehem, 1. Sam. 16. Sic de Gabaonitis, Ios. 9. de Jonathâ allatum est exemplum prior. quæst. ex 1. Reg. 20. vers. 28. Hinc Menander eleganter his verbis: Melius est eligere mendacium, quàm veritatem perniciosam. Nam si proficendo lædamus Dei gloriam, Reipubl. salutem & proximum nostrum perdamus, ipsi nos periclitamur. Tenemur omnibus modis ad Ecclesiæ & Reipubl. ædificationem & proximi nostri dilectionem. Hinc laudatur Jehu, 2. Reg. 10. v. 18. Commendantur obstetrices Ægyptiacæ, Exod. 1. v. 19. Nec vituperatur Chusai 2. Sam. 16. vers. 16.

Jocosum mendacium est, quod delectandi, jocandi, non fallendi aut nocendi proximi gratia in conversationibus familiaribus suscipitur. Quod mendacium, modo in eo decorum quis observet, & non petulans, vel nimium obscœnum sit, sed elegans & facetum illicitum non est. Non enim est internè malum, cum non proficiscatur ex pravo corde, ex mera petulantia & levitate animi in perniciem alterius, sed potius in eum finem, ut homines in familiari conversatione delectentur.

Perniciosum mendacium est mendax rei affirmatio ex levitate ingenii & pravitate cordis cum voluntate & intentione proximi fallendi, proveniens. Et hoc mendacium quatuor habet requisita, quibus cognoscitur. Primum est, ut rei affirmatio per se sit mendax. 2. Ut duplici corde proferatur, hoc est, ut certò ipsi constet falsum esse, quod ut verum profert. 3. Ut id fiat contra gloriam Dei & dilectionem proximi. 4. Ut ejus contraria veri professio sit necessaria, justa & utilis. Et hoc est mendacium, quod tories in S. Scriptura est prohibitum, uti præcedenti quæstione demonstratum. Et hi sunt, qui mel habent in ore, fel in corde, qui amicum suum blanditia sermonis & amicitia fide decipiunt, Prov. 10. v. 9. & iram Dei ac æternam damnationem provocant, Job. 36. v. 13.

QUÆST. VI. *Vtrum mendacium officiosum & jocosum propriè loquendo mereantur mendacium appellari?*

Quæstionis hujus affirmativam, tenet Pareus c. 27. Gen. hoc imprimis fundamento? Quia is qui dicit & facit ea, quæ scit, ita se non habere, quamvis hoc non facit contra dilectionem in perniciem proximi, interim tamen mendacium dicit & facit, & cum non desinat esse formaliter mendacium, nec desinit esse peccatum & vitium.

iosum. Cùm omne mendacium, quodcunque etiam sit, vitiosum & per consequentiam illicitum sit. 2. Quia in officioso, & jocosomendacio, est disconvenientia oris & cordis. 3. Ratione oppositorum. Si non sunt propriè mendacia. Ergo erunt veritas, quod absurdum.

Verùm contrarium nos probamus his fundamentis. 1. Quia mendacio tam officioso, quàm jocosomendacio, non competit definitio mendacii propriè sic dicti. Propriè enim mendacium dicitur pernitiosum, cujus definitionem præcedenti quæstione posuimus. 2. Quia hisce duobus mendaciis non competunt quator illa requisita mendacii propriè sic dicti. Ergo, &c. Pro decisione quæstionis, distinguendum est inter mendacium propriè sic dictum & inter mendacium vulgariter populariter & abusivè sic appellatum. *Pareo Resp.* Negando minorem. Nam istiusmodi mendacia non sunt essentialiter & formaliter mala, sed habent optimam rationem & finem. Deinde negando conseq. Non enim sequitur, retinet nomen mendacii, Ergo erit per se vitiosum & illicitum. Quia non propriè, sed abusivè mendacium appellatur. Ad secundum & tertium argumentum facilis est Responsio. Nam secundum procedis ex incompleta definitione mendacii propriè sic dicti. Et tertium ex falsitate oppositorum. Est enim mendacium duplex: propriè & impropriè sic dictum.

QUÆST. VII. *Vtrum is, qui verum se dicere putat, mentiatur?*

Ne longius quàm par est in hisce controversiis immoremur, pro decisione, quæstionis distinguendum esse puto, inter verum & falsum Logicè & Ethicè. Logicè verum duntaxat est, cum quis pronunciat, ut res est, secus est qui pronunciat, non habito respectu ad intentionem & voluntatem pronunciantis falsum pronunciat. Ethicè verum est non tantum, cum quis pronunciat, uti res est, verum etiam cum quis pronunciat ea, quæ putat & credit esse vera. Respicimus enim in Ethicis non tam ad rem ipsam, quàm ad animum & voluntatem pronunciantis & facientis. Hinc fit, ut quis Ethicè verum dicat & tamen Logicè mentiatur, & contra logicè verum dicat, & tamen Ethicè mentiatur.

QUÆST. VIII. *Vtrum mendacium consistat etiam in factis?*

Mendacium non tantum in verbis, verum etiam in factis consistere, probamus contra *Pareum d.c.27. Genes.* his argumentis. 1. Quia non tantum verbis, verum etiam factis, moribus & gestibus, uti experientia satis luculenter testatur, contrariam significamus

illi, quod est in mente voluntate, affectu & intentione. 2. Uti se habet typus ad antitypum: Ita se habent nostræ actiones & mores ad intentionem & voluntatem cordis nostri: Atqui typus, si non per omnia conveniat cum suo antitypo, dicitur falsus: Ergo & actiones & mores nostri si non cum mente & voluntate congruunt, dicuntur falsæ & mendaces. 3. Quia conveniunt verba & actiones nostræ in hoc, ut sint signa externa: Atqui uti in verbis committitur mendacium, si menti & rebus non respondeat, sic etiam in factis, actionibus & moribus nostris mendacium committitur, si nimirum aliud faciendo & agendo simulamus, & aliud in voluntate & intentione cogitamus.

QUÆST. IX. *Vtrum quis bonâ conscientia larvatus incedere possit?*

Pro parte affirmativa faciunt hæc argumenta. 1. Quod usus larvarum consistat in simulatione personæ. Atqui simulatio personæ est licita. Ergo & usus larvarum. Minorem patroni larvarum probant. 1. Inductione personarum. Sic *Jacobus* personam *Esavi* simulavit: Sic *David* coram *Achi Rege Palæstinarum* se stultum simulavit. *1. Reg. 22.* Sic *Josephus* alienam personam simulavit coram fratribus suis, &c. 2. Ab experientia. Sic constat, quod larvæ usurpentur in Comædiis & Tragædiis, item non raro in congressibus Principum aliorumque magnorum virorum, idque cum fiat absque reprehensione, consequens erit, bonâ conscientia larvis incedere posse. Verum pro decisione hujus quæstionis & resolutione argumentorum pro larvis adductorum distinguendum esse puto. 1. inter simulationem personæ licitam & illicitam. 2. Inter usum larvarum tempore necessitatis, hilaritatis, tentationis, & inter usum larvarum bacchantium. Illicita simulatio personæ est, quæ suscipitur ex mera levitate, pravitate & petulantia animi, contra honorem Dei, Ecclesiæ & Reipub. ædificationem cum proximi offensione propter omnis generis nequitiam exercendam. Licita est & approbata, quæ fit ratione necessitatis & hilaritatis propter optimam rationem. Qualis fuit *Jacobi*, qui alias benedictionis paterne particeps factus non fuisset. Item *Josephi*, qui simulatione suâ fratres suos ad majorem penitentiam adduxit. Talis etiam est, quæ tempore convenienti, recreationis & hilaritatis puta, in ludis æcenis, Comædiis & Tragædiis conceditur. Illa verò simulatio quæ est bacchantium, citra ullam necessitatem & hilaritatem, ex levitate animi cum offensione hominum tempore Bacchanaliorum assumpta, omnino est improbanda, culpanda, & muris ac parietibus

bus Christianæ Ecclesiæ ejicienda. Illa nimirum talis est, quæ ab Ethnicis originem traxit, variis peccatis scæter, Deum, qui hominem ad imaginem suam creavit, graviter offendit, cum veritate & candore pugnat, in Diabolum seu Satyrum hominem convertit, scandalum & offensionem infirmis hominibus & imprimis junioribus præbet, & ad omnis generis nequitiam exercendam invitat, & proinde perpetuo Senatusconsulto gravissimâ poenâ interdicti debet.

QUÆST. X. *Vtrum Comitatus & Urbanitatis sit choreas ducere & saltare?*

Argumenta pro parte affirmativa & negativa vide apud *Temple- rum in Ethic. lib. 3. c. 5. quæst. 2.* Nos pro quæstionis determinatione distinguendum esse putamus, 1. inter saltationem honestam, decoram & moderatam, & inter inhonestam, indecoram & immoderatam. 2. Inter saltationem, quæ fit in locis & congressionibus publicis tempore hilaritatis & recreationis & inter illam, quæ in locis suspectis & privatis, non tantum animi & recreationis, sed turpis libidinis explendæ gratia. Illam dicimus esse licitam & minimè prohibitam. Sic enim David coram Domino publicè saltavit. Sic puellæ victoriam de Goliatho choreis & cantibus celebrârunt. Sic Maria soror Moyse interfecto Pharaone cum aliis mulieribus choreas dixit. Non ergo saltatio, quâ saltatio, sed qua turpis, noxia, lasciva & libidinosa, culpanda & vituperanda est, vide *Crug. in hort. virtut. q. 70.*

QUÆST. XI. *Vtrum sit Urbanitatis & Comitatus osculo salutare advenientem puellam vel alterius conjugem?*

Veteribus in more positum erat osculo se invicem salutare. Quemadmodum de Medis testatur, *Xenoph. lib. 5.* De Romanis, *Plutarch. in probl.* De Anglis, *Polyd. Virg. lib. 4. de rer. invent. c. 13.* De Moscovitis, *Sigism. Bar. in com. rer. Moscov.*

Verum cum more cujusvis regionis, externis comitatus & urbanitatis signis quis uti debeat, & apud Germanos in more positum non sit, ut quis ratione urbanitatis & comitatus quamlibet advenientem puellam vel alterius uxorem osculetur, rectius & consultius faciunt ii, qui ab istiusmodi ritu abstinent, & se ad mores loci & personarum, quibus cum vivunt, accommodant, juxta illud:

Si fueris Roma, Romano vivito more;

Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

1 3

NON

Non enim est, quòd putes tuos mores esse meliores & cultiores. Nam fieri non potest, ut tota civitas vel Respubl. ad tuos se attemperet mores, sed tu, si commodè cum hominibus conversari cupias, debes te ad illorum, quibus cum vitam agis, consuetudinem & morem accommodare. Et hinc fit ut non possis more Moscovitarum & Anglorum puellas vel alterius uxores tibi obviantes venientes osculari & amplecti. Huc facit quod istiusmodi osculatio & oris impressio multa habet incommoda. Non enim sæpè numero accidit, ut quis halitu vitioso vel venenosis linimentis supra genas inductis, corrumpatur & inficiatur, verùm etiam importat istiusmodi osculatio vel complexio multas sinistras suspiciones. Et quamvis non sufficienter probetur adulterium, si testes dicant, quod viderint mulierem jacentem cum viro, aut quod conspexerint nudum cum nuda in eodem lecto cubare, vel quòd conspexerint solum virum & mulierem occultè se deosculantes & amplectentes, aut quòd viderint juvenem in Camera dispektoratum & caligis solutis, dum mulier januam clausam teneret & juvenem adesse negaret: interim tamen facit certam præsumptionem stuprationis vel adulterii facti, *cap. literis, ext. de præsumpt. &c. præterea extr. de testib. & attest.* Hinc clericis omni conversatione cum puellis vel uxoribus interdictum est, *c. 1. & 2. extr. de cohabitatione clericor. & mulier.* Nam eo casu, quo mulieres vel puellas deosculantur & amplectuntur, non præsumitur velle benedicere aut Pater noster orare, *Bald. in l. neq. natales, Cod. de probat. num. 1.*

DISPUTATIO XIII.

DE JUSTITIA ET JURE.

Resp. Bartholdo Rochovio.

T H E S I S I.

QUIA huc usque disceptatum & tractatum est de iis virtutibus, quæ ad ipsam habentem potissimum referuntur, eundemque tam quoad animum, quam corpus & res externas informant: Sequitur jam de Justitia ejusque effectu, iure videlicet, quæ imprimis ad alios in communi societate Politica viventes sese accommodat, breviter tractandum.

2. Justitiæ vocabulum, si *nomen* spectes, rectius dices, à jure justum, & à justo justitiam descendere. Si verò non *nomen*, sed *realitatem* spectes, jus tanquam effectum justitiæ à justitia oritur. Nam
uti in

uti in derivationibus nominum, derivatum à primitivo *nominaliter*, ita contra primitivum à derivativo *realiter* descendere solet.

3. Verùm cum non uno, sed tribus distinctis modis, justitia contemplatione juris consideretur. 1. Antecedenter, quatenus est causa juris. 2. Essentialiter, quatenus justitia est ipsum jus, hoc est, quatenus legislatoris justitia, est constans ipsius voluntas hoc & non alio modo agendi. 3. Consequenter, quatenus est effectus juris, dum secundùm leges agendo, habitum justitiæ sibi comparavit ipsamque exercet. Pro diversitate considerationis statuendum est. Atque sic si primo modo justitia consideretur, nullum est dubium, quia jus à justitia descendat: Si verò secundo modo, tunc neutrum ab altero. Si autem tertio modo, tunc justitia à jure venit.

4. Et quia verba secundùm subjectam materiam intelligenda sunt, & talia sunt subjecta, qualia permittuntur esse à prædicatis, justitiæ vocem h. l. non Theologicè pro justitia Mosaica vel Evangelica, de qua Philosophi nihil præcipiunt, sed philosophicè intellectum volumus, & quidem non generaliter, quatenus etiam brutis & feris bestiis attribuitur, *Ælian. lib. 2. de animal. c. 8. de Delphinis, & de Leonibus, lib. 5. cap. 39.* Non etiam abusivè, pro æquali distributione prædæ, qualem interdum in latronibus, deprehendimus. Neque synonymicè, quatenus capitur pro officio defunctis exhibito. Unde justii dicuntur, qui defunctis justa persolvunt. Sed pro ea tantùm justitia, quæ in communi hominum societate cernitur, quâ apti homines redduntur ad justas actiones ex intentione & voluntate mentis perficiendas.

5. In qua significatione à Philosophis dividitur in justitiam universalem & justitiam particularem.

6. Universalis justitia est virtus, per quam obedientiam præstamus omnibus virtutibus & legibus, eum in finem, ut publica utilitas promoveatur, & Politica societas inter homines conservetur. Sumitur ergò pro congerie omnium virtutum & legum. Hinc qui temperanter, qui fortiter, qui liberaliter, qui modestè, &c. vitam suam instituit, dicitur secundùm justitiam universalem justus. Sic qui omnibus constitutionibus, Sctis, legibus, mandatis, &c. obedientiam præstat, nomen justii meretur.

7. Estque 2. Generalis & Specialis. Generaliter accipiendò vocabulum justitiæ, sumitur uti dictum est pro congerie omnium virtutum & obedientia omnium legum, quatenus videlicet non respectu alterius, sed respectu sui ad omnes virtutes & leges accommodat.

8. Objectum ergo justitiæ generalis sunt omnium & singularum virtutum præcepta, qualia sunt, fortitudinis, temperantiæ, liberalitatis, modestiæ, &c. item omnes leges ad publicam honestatem, societatem & tranquillitatem latae.

9. Extrema justitiæ universalis sunt duo. Primo sunt extrema omnium & singularum virtutum moralium, tam in excessu, quam in defectu. Sic justus respectu sui dicitur, qui fortiter, qui temperanter, &c. vitam suam instituit: Injustus respectu sui est, qui intemperanter, immodeste, illiberaliter, &c. vitam instituit. Hinc justus respectu sui est, qui obedientiam præstat omnibus legibus ad publicam honestatem latis; Contra injustus respectu sui est, qui refractarie & contumaciter se legibus latis opponit, easque violat.

10. Specialis justitia, quæ ad alios sese potissimum extendit, definitur: Quod sit habitus, quo homines idonei sunt ea duntaxat velle & agere, quæ respectu aliorum sunt justa & legibus conformia.

11. Non ergo hæc virtus eadem præcipit, quæ justitia generalis, sed longè diversa. Potissimum enim se ad alios refert & in præmiorum & pœnarum distributione, item in contractibus & commutationibus, ea, quæ sunt justa, & velle & agere docet.

12. Per vocabulum habitus in definitione positum, non proximum, sed remotum genus demonstramus, siquidem virtus proximum genus constituit.

13. Reliqua verba in definitione posita, differentiæ loco ponuntur. Justitiæ enim beneficio homines vim, facultatem & potestatem accipiunt agendi ea, quæ justa sunt. Non ergo justus est is, qui interdum justa agit. Siquidem injustissimus quisque justa interdum agere potest. Ille igitur justus est, qui propositum perpetuum & constantem voluntatem justè agendi servat, retinet & agit.

14. Hinc sequitur eum, qui videlicet per vitia opposita, ut sunt affectus odii, amoris & similia obstacula impeditur, justum minime esse, uti neque illum qui difficulter & ægrè fertur ad ea, quæ sunt justa. Unde *περὶ ἀπορίας* definitur Justitia specialiter sic dicta à JCtis. Quod sit constans ac perpetua voluntas, suum cuique tribuendi, *Inst. de I. & I. l. 1. ff. eod.*

15. Unde sequitur porro injustitiam esse habitum, per quem homines injuriam aliis inferunt, eamque agunt & volunt.

16. Consideratur justitia in specie sic dicta dupliciter. i. Active, quæ

quatenus videlicet est norma ac forma cuique quod suum est, modum tribuendi præscribens.

17. Et hac ratione sese accommodat ad hæc tria generalia præcepta: Honestè vivere: Alterum non lædere: Suum cuique tribuere.

18. Passivè justitia consideratur respectu objectorum, quibus justitia tribuitur, ut sunt: Homines: Res: & Actiones. De quibus tribus objectis justitiæ latius in Jctorum libris tractatur.

19. *Particularis* justitia est virtus, quæ partim in commutando, partim in distribuendo æqualitatem servat.

20. Estque rursus duplex: Commutativa & distributiva.

21. Commutativa justitia est virtus in contractibus & rerum permutatione, nullo habito respectu personarum æqualitatem observans, ut unusquisque suum consequatur & nulla pars defraudetur.

22. Objectum hujus justitiæ sunt omnes res commutandæ, seu ipsi contractus & permutationes rerum. Qui, quæve & quotuplices sunt, in schola Jctorum docetur.

23. Per æqualitatem in definitione positam, æqualitatem Arithmetice intellectam volumus, in qua non personarum respectus, sed simplex rerum æqualitas observanda.

24. Interim tamen in consideratione æqualitatis rerum observandum venit. 1. Æqualitatem utriusque rei, non ex quantitate, sed dignitate & caritate æstimandam. 2. Non tantum ex re ipsa, verum etiam ex officio, labore & arte, quæ rei inest vel adest, æqualitatem æstimandam. Atque sic non tantum res cum re, verum etiam cum arte, labore & officio comparanda venit.

25. *Extrema* hujus virtutis uno nomine injustitiæ veniunt, quando videlicet propter dolum contrahentium & vitium rei æquitas ita violatur, ut uni lucrum, alteri vero damnum obveniat.

26. Distributiva justitia est, quæ in præmiorum & poenarum distributione æqualitatem servat.

27. Estque duplex: Remuneratoria & punitoria.

28. Remuneratoria fit per legitimam distributionem præmiorum tam honorum, quam opum.

29. Ad legitimam præmiorum distributionem requiritur. 1. Ut antecedit virtutis actio seu meritum. Nam qui vitia remunerat, justus non est. 2. Ut præmium correspondeat merito. Quo ergo excellentius meritum, tanto præclarius debet esse præmium. Hinc sedeat *Thersites* ad *sentinam*: *Achilles* exchatur altius ad *coronam*.

30. Punitoria justitia est, quâ nocentes, ut par est, pœnis & suppliciis afficiuntur.

31. Ad legitimam pœnarum distributionem requiritur. 1. Ut factum ipsum, de quo ante omnia constare oportet, sit inhonestum ac turpe. 2. Ne sit pœna gravior delicto, sed per omnia delicto correspondeat.

32. Differt hæc justitia distributiva à commutativa. 1. Quòd hæc circa bona & mala distribuenda sit occupata; illa verò circa res commutandas versetur. 2. In hac servanda est æqualitas Geometrica: in illa verò Arithmetica spectatur. 3. Distributivam ut plurimum exercent homines publici: Commutativam etiam privati exercent.

33. Objectum justitiæ distributiæ sunt præmia & pœnæ.

34. Extrema hujus virtutis uno nomine injustitiæ veniunt, si videlicet plus vel minus nulla habita ratione dignitatis, personarum & circumstantiarum, præmia & pœnæ irrogantur.

35. *Effectum justitiæ est jus, & definitur à Celso Jcto: quod fit; Ars æqui & boni, l. in pr. ff. de I. & I.*

36. Jus ergò quatenus arte & libris est comprehensum, sive quatenus est systema & non habitus, rectè dividitur in publicum & privatum.

37. Publicum jus est, quod ad statum Reipubl. Romanæ spectat, hoc est, quod tam in sacris ritibus & ordinibus, quàm in Magistratibus consistit.

38. Privatum jus est quod ad singularem utilitatem principaliter pertinet.

39. Estque rursus triplex: Naturale, Gentium & Civile.

40. Naturale est, quod natura omnia animalia docuit, hoc est, quod bruta animalia instinctu naturæ, si idem faciunt homines ratione præditi, hoc est jus naturale dicendum.

41. Estque hoc jus semper fixum & immutabile, non quidem ratione hujus vel illius individui, sed ratione totius & integræ speciei. Atque sic ratione determinationis, legem naturæ mutari concedendum, non verò suiipsius.

42. Jus gentium est, quo omnes homines excommuni ratione utuntur, vel quod naturalis ratio inter homines constituit, *§. jus gentium, Inst. de I. N. G. & C.*

43. Differunt ergo jus gentium & jus naturale. 1. causa efficiente. Jus naturale, natura docuit: jus gentium ratio naturalis introduxit. 2. Subjectis. Jus naturale commune est omnibus animalibus:

Jus

Jus gentium proprium est omnibus hominibus. 3. origine. Jus naturale cum homine statim est natum: Jus gentium cum genere humano demum necessitate quadam ex ratione hominum est introductum. Jure enim gentium bella sunt orta, exinde subsequuntur captivitates & servitutes, discretæ sunt gentes, regna sunt condita, dominia distincta, agris termini positi, & omnes ferè contractus introducti, &c.

44. Estque jus gentium ratione originis & productionis duplex, primævum & secundævum.

45. Primævum est, quod statim cum homine seu genere humano prodiit, & cordibus hominum divinitus insculptum, ut sunt Religio erga Deum: reverentia erga præceptores, parentes, magistratum: dilectio erga patriam & proximum quemque.

46. Secundævum est, quod non statim cum genere humano prodiit, sed postmodum crescente numero hominum, usu & necessitate exigente est conditum, & optima ratione introductum. Quo jure dominia distingui, civitates conditæ, contractus celebrari cœperunt.

47. Jus civile est, quod quisque populus sibi constituit. Per populum hoc loco non intelligimus hanc vel illam civitatem in particulari, sed talem, qui in eadem societate versatur, iisdemque legibus à superiore latis utitur. Et sic per populum h. l. intelligimus Rempubl. seu civitatem in genere, ut est populus Romanus, Turcicus, Hispanicus, Anglicus. Hinc jus civile ab unaquaque civitate generaliter sic considerata, denominationem accipit, & appellatur jus Romanum, quo Romani utuntur, Turcicū, quo Turcæ Hispanicum, quo Hispani, &c. utuntur.

48. Estque duplex: Scriptum vel non scriptum.

49. Scriptum jus dicitur, quod constat expressa aliqua lege sive immediatè ab ipso populo illud expressè sancitum, sive mediatè per plebiscitum, Scutum. Principum placita aut Magistratum edicta.

50. De essentia ergo scripti juris est, expressus populi Romani consensus. Scriptura enim non ad essentiam seu formam juris scripti, sed tantummodò ut necessarium aliquod adjunctum, à quo etiam denominationem accepit, pertinet.

51. Non scriptum sive sine scripto jus est, quod diuturnis moribus & usu introductum. Diuturni enim mores consensu utentium approbati, legem imitantur.

52. De forma consuetudinis est, ut adsit tacitus populi consensus. De quo, si non notoriè constat, probanda sunt ea, ex quibus

tacitus

facitus consensus necessario sequitur, ut sunt: Actuum frequentia & temporis diuturnitas.

53. Jus positivum civile distinguitur porro, in universale & particulare.

54. Universale jus est, quod à supremo & summo Magistratu fertur. In Romano Imp. est illud, quod hodie Imp. cum statibus Roman. Imp. in comitiis sancit, & mandat.

55. Particulare est illud, quod unusquisque magistratus secundum suam jurisdictionem & territorium subditis suis decernit & mandat.

QUÆST. I. *Verum justitia sit bonum absolutum, an verò relativum?*

Justitiam esse bonum *ἀπὸ τῆς οὐσίας*, hoc est, proprium, videtur probari posse his argumentis. 1. à definitione, quia est habitus: Atqui habitus est accidens, quod esse & subsistere non potest, nisi in suo certo & proprio subjecto. 2. Quia est virtus, quæ crebris & quidem propriis actionibus comparatur: Atqui non potest quis suis actionibus alteri habitum in animo comparare. 3. Quia est regula, norma seu instrumentum, quo mediante justa volumus, agimus & facimus: Atqui omne instrumentum referendum est ad possidentem & reducendum est ad causam suam adæquatam. 4. Quia perficit intellectum & voluntatem nostram: Atqui nullum alienum perficit intellectum & voluntatem nostram. Ergo, &c.

Contrarium asserit, *Aristot. 5. Ethic. 1.* quidem expressis verbis. Et quia justitia in specie considerata, non tam docet, quatenus aliquis debet esse justus ratione sui sed potius ratione alterius, ut suum & sic personis, rebus & actionibus, item in contractibus, commerciis, obligationibus, in distributionibus pœnarum & præmiorum unicuique tribuatur, occupatum est, rectè justitiam appellamus bonum *ἀπὸ τῆς οὐσίας* & non *ὁμολογούμενον*, Interim tamen pro decisione quæstionis distinguimus inter habitum justitiæ & inter usum seu praxin justitiæ. Si justitiam consideres ut habitum & virtutem, prior sententia est vera. Quatenus verò eam consideres secundum usum & praxin, hoc est, quatenus justus justitiam in objectis suis exercet, rectius bonum *ἀπὸ τῆς οὐσίας* quàm *ὁμολογούμενον* appellabis.

QUÆST. II. *Verum jus prius sit ipsa justitia?*

Hac de quæstione disputat, *Vult. in pr. Inst. de I. & I.* Verum non multum puto difficultatis esse in hac quæstione, si distinguas inter

nomi-

nominalitatem & realitatem rei. Ad realitatem vocis si attendas, verum est quod dicunt Juri justitiam esse priorem ipso jure. Nam hae ratione jus est effectum justitiæ & dicitur ars æqui & boni; Atqui ars semper posterior est eo, cujus ars dicitur. Cum ergo jus sit & dicatur ars justitiæ, sequitur justitiam esse priorem jure ipsa realitate. Huc pertinet, *l. i. in pr. ff. de I. & I.* Contra si nominalitatem seu Etymologiam nominis respicias, jus prius est justitia, quia sic nominaliter a justo justitia descendit. Et sic diversio respectu utrumque verum est.

QUÆST. III. *Virum justitia rectè dicatur constans
& perpetua voluntas?*

Multifariam hæc definitio justitiæ, qua definitur, quod sit constans ac perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi, à variis impugnatur. *Thomas 2da. 2da. q. 58.* acriter vocabulum voluntatis impugnat. Sunt præterea quia insufficientiæ eandem arguunt, dum unum tantum principium in se contineat & reliqua duo omitat. Sunt qui contrà reduntantiam prætendunt, nùm in vocabulo perpetua, cum nihil in rerum natura perpetuitatem sibi polliceri possit, tum quod unum vocabulum sufficere potuisset. Sed qui falsitatem in voce tribuendi prætendunt, & ob id definitionem justitiæ corrigunt.

Verùm quia hæc Ulpiani Juri definitio, quam habet, *l. 10. ff. de I. & I.* non tantum ab omnibus fermè Juri recepta, verùm etiam longo usu frequentata & approbata, nostrum non est vel corrigere vel refutare eandem, sed potius ab Imp. Justiniano & Juri recipere, & nostro calculo comprobare. Quod enim attinet vocabulum voluntas, sciendum est, justitiam non dici voluntatem propriè loquendo, sed metonymicè. Et sic vel per metonymiam causæ, voluntas tanquam causa h. l. ponitur pro effecto. Nam constat habitum sive virtutem ex actibus voluntatis promanare. Vel per metonymiam subjecti, voluntas subjectivè vel objectivè ponitur pro adjuncto habitu voluntatis. Constans porò dicitur tam antecedenter, quàm consequenter. Antecedenter, quia ex constantia & firmo proposito proficisci debet. Consequenter, quia vir justus debet esse instar Tetragoni, non instar Chameleontis, & non justa, sed justè agere debet. Justum enim & puer, & infans & tyrannus agere potest. Per vocabulum ergo constans, intelligimus justitiam habituales, & excludimus merè actuales, quæ interdum fortuito, vel temere vel contrà voluntatem exercetur. Perpetua dicitur, non ratione existentiae, sed essentiae. Ut enim

enim essentia omnium rerum, sic quoque justitiæ essentia, semper constans perpetua & immutabilis, ita, quamvis nullus homo in terris esset justus, attamen justitia esset constans & perpetua. Ad argumenta in contrarium, vide *Hunn. in resolut. Instit. q. 1. l. 1.*

QUÆST. IV. *Verum summum jus sit summa injuria?*

Tritum sermone proverbium est: Summum jus, summa injuria: Quod impugnari posse videtur his argumentis. 1. Quia justum & injustum sunt contraria. Ergo ex natura contrariorum sequitur, id quod justum, posse fieri & esse injustum. Contrariorum enim contraria est consequentia. Quod si jam jus sit ars æqui & boni, non poterit esse ars iniqui & mali. 2. Quia omne jus est in genere bonorum, & contra omnis injuria est in genere malorum. Atqui cum jus non possit esse injuria propter naturam contrariorum. Ergo multò minùs summum jus erit, summa injuria. 3. à conjugatis. Quia justus non facit injuriam, ergo neque jus faciet. Quod enim uni conjugatorum inest, id omnibus.

Verùm ut hic terminus, summum videlicet jus, rectè intelligatur, sciendum est terminum hunc trifariam imprimis considerari: 1. Ratione constitutionis & perfectionis juris. Omnis enim juris constitutio perfici debet secundum normam & formam legis divinitus homini inscriptæ & præscriptæ, hoc est, secundum legem naturalem & divinam. Jam quo lex magis congruit cum lege divina & naturali, eò magis dicitur perfecta & summa. Contra si lex secundum legem divinam & naturalem non sit facta, tunc dicitur adulterina. Jam quò magis recedit à lege divina naturali, eò magis dicitur adulterina vel summè adulterina. 2. Consideramus hunc terminum executionis tam in bonam, quam in malam partem. In bonam partem accipimus hunc terminum, quatenus crescentibus videlicet delictis publica necessitas efflagitat. Cùm mitioribus poenis Resp. à vitiosis & pravis factis non possit liberari. In malam partem capitur hic terminus, si videlicet sine mitigatione, quam tamen legislator propter gravem & urgentem aliquam circumstantiam admitteret, rigidè & stricto jure secundum verba, non attentis circumstantiis & ratione legis, procedimus. Utpote lex lata est de furibus stragulandis & furcæ appendendis. Hic, si juvenis quis immaturo adhuc judicio furtum aliquod ex inopia quadam admitteret, nimis rigido, stricto ac severo jure aliquis statueret, talem juvenem judicio adhuc immaturo & omninò sanabili ingenio præditum in primo furto ex inopia facto, suspendendum esse.

Cum

Cum ratio legis non velit immaturos & juniores, sed omninò maturiores de furto petulanter factò, sic puniri. Tertio, consideratur hic terminus ratione interpretationis, tam in bonam, quàm in malam partem. In bonam, si iudex ita legem de his circumstantiis interpretatur, de quibus est lata. In malam, si ad legem positivam accedat malitiosa & versuta iudicis interpretatio. Cum ergo ex dictis patet, summum jus trifariam in malam partem capi, in qua significatione, h.l. accipitur, non est necesse ad argumenta opposita pluribus respondere, cum ipsa responsio ex nominis ambiguitatis resolutione sit in promptu.

QUÆST. V. *Virum jus & æquum inter se pugnent & unum alterum tollat?*

In resolutione hujus quæstionis variè sese torquent interpretes, quorum aliqui statuunt pugnantiam juris & æquitatis, aliqui verò negant. Nos salvo aliorum iudicio rem paucis expediemus, distinguendo *inter pugnantiam, qua sit respectu differentiarum, & qua sit respectu generis.* Cum enim *jus & æquum* habeant commune Genus, videlicet *justum*, & Genus sit essentialè suis speciebus, ita, ut suam essentiam speciebus communicet, pugnantia inter *jus & æquum* esse non potest ratione Generis. Nam ea, quæ Genere conveniunt, inter se tali ratione concordant. Non ergo differre possunt, ut unum illorum sit *justum*, & alterum sit *injustum*. Hinc non licet inferre: *æquitas est justa, Ergo strictum jus erit injustum, & contra, &c.* Non enim sunt opposita, sed disparatæ species. Hinc sequitur specierum oppositiones debere fieri secundum differentias específicas, secundum quas differunt. *Justitia* enim & *jus* rigorem legum exigit: *Æquitas* secundum facti circumstantiam non aspernandam aliquantulum benignius scriptam legem interpretatur, & *jus* scriptum ratione circumstantiarum mitigat & moderatur. *Jus* porro finitum & certum est: *æquitas* verò ratione variationis casuum est incerta & infinita, & propterea scribi & finire non potest, sed est in arbitrio prudentis & sapientis iudicis positum, ut legem scriptam secundum facti circumstantias moderetur & mitiget. Deinde *justitiam* & *jus*, si factum omni ratione & modo cum *jure* scripto pugnat, iudex non aliter, nisi secundum normam & formam legum exercet: Contra, si aliqua non levis circumstantia in facto occurrat, & sic non omni modo contra legem scriptam peccatum sit, iudex pro sua prudentia & sapientia legem scriptam mitigare, vel etiam si dilectum sit atrocissimum & indices crescat, pœnam in lege determinatam exasperare potest.

Non

Non ergo jus scriptum aut strictum dextro sensu acceptum tollit æquitatem, vel contrà, sed manet ipsum, rigor verò seu stricta legis executio ob circumstantiam aliquam urgentem, vel in totum remittitur vel mitigatur. Atque sic quoties ut species juris considerantur, differunt. Minimè verò, quoties ratione Generis aut in usu juris considerentur. Nam tunc quod justum, id etiam æquum, & contrà, quod æquum, id etiam semper justum.

QUÆST. VI. *Vtrum omne justum sit bonum & justum simpliciter?*

Justum h. l. dicitur, quod constitutum est propter probabilem rationem & usum communem in Repub. Qua ratione, cum non rarò quædam debeant in Republ. admitti, & etiam constitui, quæ cum bono naturæ pugnant, & simpliciter considerando aliter constitui possunt, cujus rei in Repub. exempla indies occurrunt, non omnia, quæ admittuntur & constituuntur sunt simpliciter & absolutè justa, verùm justa sunt secundum quid, quatenus videlicet constituuntur & admittuntur propter seditiones & turpas vitandas, ne tota Respub. pessum eat, vel propter aliam quandam urgentem causam. Hinc sequitur ad essentiam legis spectare, ut ea sit justa & bona, non verò, ut simpliciter & absolutè justa & bona.

QUÆST. VII. *Vtrum aliquis volenti possit inferre injuriam?*

Ad hanc quæstionem respondemus negativè. Toto enim jure ita est dispositum, ut nemo censeatur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt, *l. 1. in fin. ff. de act. empt. l. nemo videtur, 145. ff. de R. I. & l. cum donationis, 34. C. de transact. & l. venditor, 11. in pr. C. de resc. vend.* Huc faciunt expressi text. *in l. 1. §. 5. & l. 3. §. si quis volentem, ff. de hom. lib. exhib.* Hinc patronus non invitus sed consentiens à liberto in jus vocatus, edicto non utetur, *l. quamvis, ff. de in jus vocand. & argumento, l. sed si unius, 17. in pr. ff. de in injur.* Et ratio est in promptu. Nam injuriam inferre, est sua sponte nolenti contra ipsius voluntatem nocere: Atqui impossibile est, ut aliquis sit nolens & volens simul, hoc est, ut sponte & contra voluntatem suam sibi id fieri velit. Sunt enim nolle & velle opposita, quæ simul stare non possunt. Et sicuti nemo dicitur invitus alteri injuriam facere, ita etiam nemo dicitur volens injuriam pati. Et quamvis æquè puniatur, qui virginem vel uxorem alterius, aut viduam consentientem rapit & stuprat, quam qui nolentem & dissentientem, *l. 1. §. 2. C. de rapt. virg.* non tamen obstat. Nam non punitur, quasi injuriam volenti intulisset, sed quia parentibus & consanguineis

corum

eorum injuria maxima fit illata. Nihilominus tamen distinguimus inter injuriam inferre & inter injustum inferre, & inter injuriam & injusta pati. Invidus quamvis non dicatur alteri injuriam inferre, interim tamen non infert semper justa sed etiam injusta: Sic quamvis volens non possit dici injuriam pati, cum hoc repugnet definitioni, rationi & legibus: interim tamen injusta sæpius cum suo maximo detrimento & dispendio, uti experientia rerum magistra testatur, patitur.

QUÆST. VIII. *Verum aliquis sibi possit injuriam inferre?*

Negat hoc *Arist. 5. Eth. cap. 11.* Et probat, quod dicit duplici imprimis fundamento. 1. Ex natura universalis justitiæ, hoc modo: Quicumque universaliter injustus est, in aliquam legem impingat necesse est: Atqui nullæ leges latæ sunt de non facienda sibi injuria. Ergo, &c. 2. Ex natura particularis justitiæ. 3. Quia particularis justitia, est bonum ἀλλότριον sive virtus πρὸς ἑτερον. Atqui nemo à se ipso & respectu sui dicitur ἑτερος. Ergo, &c. 3. Quia injuriam inferre est sponte sua, alii contra voluntatem ejus nocere: Atqui nemo potest esse respectu sui, ipse & alius: sicuti nemo potest simul & semel esse & volens & nolens. Ergo.

Verum, si secundum ἀκυρολογίαν & ἐν πλάτει loqui velimus contrarium omnino dicendum & asserendum erit. Nam constat αὐτόχειρος & contra justitiam universalem & particularem omnino peccare. Contra justitiam universalem peccant, quia non tantum contra leges naturæ & gentium, hoc est, contra rectæ rationis dictamen, verum etiam contra leges divinas & civiles gravissimè peccant. Contra justitiam particularem peccant, quia nemo est Dominus suorum membrorum & vitæ suæ, & hac ratione cum vita & corpus potius sint in dominio ejus, qui dedit animam & corpus, sequitur nos pro nostra voluntate in animam & corpus nostrum sævire minimè posse.

Proinde pro quæstionis hujus determinatione & decisione distinguendum esse puto. 1. inter bona quæ sunt in nostra potestate posita, ut sunt divitiæ, opes, &c. Et inter ea bona, quæ non sunt, in nostra potestate sita, ut sunt: vita, fama, honor, conscientia, &c. De iis ergo bonis, in quibus alicui licitum pro voluntate disponere, est vera Aristot. sententia, neminem sibi metipso posse inferre injuriam. Verum quod bona vitæ, corporis ac famæ attinet, ad illa non pertinet nec quadrat regula: Volenti non fit injuria: Ea enim talia

K

sunt

sunt, ut aliter velle possit, quam Deus, natura & leges requirunt. Prohibemur enim contra vitam, corpus, honorem & famam & conscientiam nostram aliquid velle. Secundo distinguendum esse puto inter damnum & injuriam. Quoad bona in potestate nostra posita, quamvis propriè loquendo injuriam non patitur: interim tamen maximum damnum sæpè numero sentit. Quod verò bona ea attinet, quæ non sunt in potestate & voluntate sita, rectius dicimus injuriam, quam damnum pati.

QUÆST. IX. *Vtrum melius sit pati injuriam, quam inferre?*

Inferre injuriam melius esse, quam pati, videtur probari posse hoc fundamento, quod longè melius sit prævenire, quam præveniri: item melius esse in tempore occurrere, quam post vulneratam causam primum ictum expectare *argum. l. 5. ff. ad L. Aquil. l. 3. §. qui armata, ff. de vi & vi arm. l. 3. Cod. de Sicar.*

Contrà Aristot. concludit: melius esse injuriam pati, quam inferre. Hoc enim cum improbitate conjunctum, & vel ex odio, livore, cupiditate vindictæ, &c. oritur, cum contrà illud, injuriam videlicet pati, sit cum patientia, lenitate & tarditate ad iram, conjunctum, & magis cum scriptura sacra & exemplis piorum in schola crucis viventium, conveniat. Neque obstat adductum argumentum in contrarium. Nam qui legitimè injuriam repellit & sic vim imminem debito modo propellit, injuriam inferre non dicitur. Cum vim vi repellere & injuriam imminem legitimè propellere omni jure sit licitum atque concessum.

QUÆST. X. *Vtrum Geometrica proportio semper locum habere possit in justitia distributiva?*

Hanc dubitationem solvit *Aristot. 5. Ethic. 4.* ubi quidem fateatur, distributionem præmiorum, bonorum & dignitatum, præcipuè pertinere ad proportionem Geometricam, in qua spectatur & personarum dignitas & meritum; interim tamen fieri interdum ait, ut in ipsa distributione præmiorum, &c. arithmetica servetur proportio, maximè, si præmia inter æquales veniunt distribuenda. Ubi cum æquales sunt dignitates & merita æqualia, sequitur & præmia debere æqualia. Interim tamen in distributiva justitia potissimum & principaliter ratio Geometricæ proportionis habetur, sicuti in justitia commutativa ratio Arithmeticæ proportionis habenda. Et quamvis interdum secus fiat, id tamen non infringit regulam generalem. Nam sicuti una hirundo non facit ver, aut una dies æstatem, ita unum exemplum non facit regulam.

DISPU.

DISPUTATIO XIV.

DE VIRTUTE HEROICA, ET HABITIBUS

Imperfectis, puta Continentia & Tolerantia.

Resp. *Johanne Volperto à Schütz dicto Gortz.*

T H E S I S I.

Quod in aliis rebus usuvenire solet, ubi dantur res perfectæ, dantur etiam imperfectæ & perfectissimæ. Id etiam in doctrina virtutum moralium usuvenit. Quamobrem, quia huc usque de perfectis virtutibus & virtutum habitibus, tam quàm ad ipsam habentem, quàm quàm ad alios referuntur, dictum: consequens est, videamus in posterum etiam de habitibus virtutum imperfectis, utpote de continentia & tolerantia, & de complemento omnium virtutum, seu summa perfectione, quæ dicitur virtus heroica.

2. Nomen hujus virtutis, *ἡρώδης*, hoc est, ab amore vehementi & ardente virtutis ac veritatis deducimus. Per illum enim amorem homo Deo quasi similis redditur, quatenus præclaras & generosas actiones supra communem hominis conditionem & fragilitatem ex se edit.

3. Sumitur porro vocabulum Herois dupliciter, Theologicè & Philosophicè. Theologicè, quatenus de iis prædicatur, qui eminentia & splendore virtutum Theologicarum communem hominis conditionem superant. In quorum numero sunt ii, qui vel in vera Dei dilectione, spe, fide, patientia, charitate, &c. firmiter perseverant, & nullo modo se dimoveri vel commoveri patiuntur: vel qui in spirituali palæstra cum Sarana, cæterisque hostibus animam petentibus dimicant & hostes suos fortiter vincunt, in quorum numero fuere, Salvator noster, Item S. Stephanus, fratres Maccabæi & reliqui Martyres omnes, qui super cœlestis doctrinæ veritate, divinæ voluntatis observatione ad sanguinem & vitam usque dimicaverunt. Quo pertinet patientia in Davide, tolerantia in Lutero, &c.

4. Philosophicè seu Politicè sumitur, quatenus supra humanam conditionem, industriam & vires in actionibus politicis sese exerit. Qua virtute præditi fuerunt in sacris: Abraham, Jacob, Moyses, Josua, Samson, &c. In politicis: Alexander Magnus, qui universum ferme orbem terrarum imperio suo subegit. Item Aristides, qui justitiæ palmam singulis præripuit. Item Cyrus Rex Persarum, &c.

5. Desinitur virtus heroica, quòd sit virtus divinitus quibusdam hominibus concessa, ad expediendum ea, quæ viribus humanis expediri nequeunt.

6. Cum autem una vox, per quam hæc virtus designari potuisset, nulla detur, refarcitur iste defectus per additionem cuiusdam differentiae ad genus, & dicitur virtus heroica, ut sic inde unicus nascatur conceptus & consequenter vox unica, eaque significatione à genere ejus virtutis diversa, ut nulla tautologia sit, cum dicitur: Virtus heroica est virtus.

7. Virtus autem appellatur hæc Virtus heroica, non habita ratione proprietatis vocabuli aut rigoris termini illius: Sic enim nec habitus propriè est, si nimirum essentialia habitus respicias. Sed virtus dicitur, & habitus appellatur, quia virtuti & habitui est similitudo. Siquidem pro diversis subjectis diversimodè, sese hæc virtus habet. In quibusdam enim excellentior est & luculentior, adeoque usu etiam frequentior apparet, ita ut quasi radices videatur egressisse, & naturam virtutis & habitus induisse. In aliis contra unus tantum vel alter actus hujus virtutis apparet, quos, quamvis nullo prorsus habitu præditi, nihilominus rectè Heroës appellari, dubitari non debet. Cum unus tantum actus, vires humanas superans, ad hanc virtutem sufficiat.

8. Genus ergò hujus virtutis rectè distinguitur appositione causæ efficientis: Est enim virtus divinitus concessa. Unde sequitur, per hanc virtutem non tam intelligi occultum quendam raptum, quam naturalem indolem, cui Deus peculiari benedictione singularem & peculiarem honestatis ac divinitatis ardorem indidit, unde postmodum eximii & admirabiles ad maxima tentanda & perficienda impetus exsurgunt. Hinc nemini facta heroica imitari fas est nisi eadem vi divina instructus fuerit. Facinora enim heroica vires humanas superant & longè majora sunt, quam ut ab homine naturaliter perfici valeant.

9. Additur porro in definitione, ad expedienda ea, quæ vires humanas superant. Quocirca non sufficit magna moliri. Hoc enim temerarius & audax facere potest. Sed oportet, ut eventus respondeat conatui. Quamobrem qui se solum mille armatis hostibus opponit, temerarius & audax est, si videlicet superandis illis multò est minor. Ubi verò hoc fecit Samson, audax non fuit, quia hic virtute sua, qua pollebat, spiritu suo, quo agebatur divino, totidem vires superare valuit, atque sic hoc tentavit, quod virtute sua perficere potuit. Id enim tantum vitium audaciæ incurrit, si quispiam moliat ea, quibus perficiendis est imper.

10. Atque si hæc virtus heroica, quam *Arist. 7. Ethic. 1.* vix uno atque altero verbo attingit, non parum ab aliis virtutibus differet. Nam aliæ virtutes sunt habitus crebris actionibus comparari: Hæc verò virtus dicitur divinitus hominibus ad maxima quæque concessa. Hinc dicitur *ἀνρη* & summa perfectio seu divinum virtutum moralium complementum.

11. Opponitur huic virtuti unicum tantum extremum, nimirum feritas seu bestialitas. Cujus species tot sunt, quot virtutis. Differt tamen à reliquis vitiis in hoc, quod cæteris vitiosis hominibus aliquod adhuc mentis & rationis lumen remaneat, in istis verò prorsus extinctum inveniatur.

12. Definitur, quod sit vitium summum & extremum, quo homo rectæ rationis judicio planè & penitus excusso, omni que humanitate ab ecta, turpissima atque nefanda quæque perpetrat, à quibus aliàs ipsa natura humana abhorret.

13. Sic vidimus virtutem perfectissimam: jam ergo aggrediemur virtutes imperfectas.

14. Dicitur autem virtus imperfecta propterea, quod nondum plenum dominium in appetitum nostrum habeat. Siquidem virtus perfecta, cupiditates sive affectus planè & plenè domitos, sub fræno rationis continet: Semi verò virtutes, planè & plenè domitos eosdem non habent, sed cum quadam repugnantia & lucta.

15. Definitur virtus imperfecta, quod sit habitus animi imperfectus, appetitum adhuc indomitum & reluctantem rectæ rationi subjiciens.

16. Divisio virtutum imperfectarum ab objecto desumpta in duas species deducitur. Versantur enim semi virtutes vel circa voluptates vel circa dolores.

17. Quæ circa voluptates versantur, generali vocabulo *Continentia* veniunt.

18. Contrà, quæ circa dolores occupatæ generali vocabulo *Tolerantia* indignantur.

19. Non ergo inficiamur, plures dari virtutum imperfectarum species, atque adeò tot, quot virtutum perfectarum. Tot enim sunt initia constituenda, quot complementa. Verùm, quia in specie sunt *ἀνώμαλα*, ideoque hac in parte *Arist.* sequimur, & has duas tanquam generaliores ratione objecti, ad quas aliæ omnes revocari possunt, constituimus.

20. Continentiæ vocabulum tripliciter sumitur. 1. pro continentia naturali, cum quis propter aliquem naturæ defectum, vel

naturâ non magnoperè ad voluptates sectandas incitatur. 2. sumitur pro continentia coacta, quatenus quis vel metu pœnarum aut præmii causa, appetitum suum captivat. 3. sumitur pro virtuosa, dum recta ratio spontè sua, & non aliter, quam honestatis ac virtutis amore ducta, voluptates in ordinem cogit. Et hæc est, de qua nobis h. l. sermo est.

21. Est ergo continentia semi-virtus, quâ affectus imperio rectæ rationis ab inordinatis & pravis suis affectibus abstrahuntur.

22. Objectum continentia in genere constituimus omnes voluptates illicitas, primariò circa gustum & tactum, secundariò circa reliquas voluptates, utpote honoris, gloriæ, victoriæ, divitiarum, versantes.

23. Cum temperantia continentia habet multum convenientiæ: differunt tamen. 1. Ut principium & complementum. 2. Ut generale & speciale. Nam omnis temperantia continentiam complectitur: at non omnis continentia temperantiam, propterea, quod continentia ad omnes virtutes sese extendat, in quibus moderanda est voluptas. 4. differunt objecto: aliter sese habent voluptates dum temperantiæ & aliter dum continentia obijciuntur. Etenim voluptates temperantiæ parent sine violenta resistantia. At continentia parent non sine gravissima lucta. Tenet quidem intellectus continentia instructus imperium in perturbationes, verum id quietum & pacatum adhuc non est, sed cum quadam perpetuâ reluctantiâ.

24. Oppositum continentia dicitur incontinentia. Et definitur: Quod sit vitium nolentem & invitum ad vitiosos actus pertrahens.

25. Differt ab intemperantia, quod incontinentem actionis suæ pravae pœniteat, propterea, quod invitus & quasi nolens cum quadam lucta, hoc vel illud vitiosum factum commiserit: Intemperantem verò nullo modo pœnitet, siquidem cum jucunditate prævum & illicitum admisit.

26. Est autem incontinentia duplex. Una Naturalis: altera adscititia. Naturalis rursus duplex est: privata & positiva.

27. Privata, quatenus intellectus virtute continentia omnino destituitur: quæ aliàs inesse debet.

28. Positiva, quando quis cum temperamento & inclinatione totius naturæ ad vitiosas rapitur voluptates.

29. Adscititia ontur. 1. vel ex prava educatione. 2. vel à mala assuetudine appetitus. 3. vel ex præcipitantiâ quadam, quatenus quis subito & quasi per imprudentiam, antequam potuisset cogitare

rare

E X E R C I T A T I O XIV.

154

rare, à vehementiore aliquo affectu rapitur ad peccandum. 4. vel ex infirmitate, qua quis aliquandiu affectibus pravis resistit & tandem succumbit & superatur.

30. Sic fuit semi-virtus, quæ vincit voluptates: sequitur jam ea, quæ cavet, ne vincamur rebus adversis vel doloribus, & dicitur tolerantia.

31. Est autem tolerantia virtus imperfecta, quâ res adversas & cum dolore conjunctas honestatis gratia perferimus.

32. Non tamen merè passivè sese habet tolerans. Nam quas res tolerare nefas est, iis mediis legitimis resistere debet.

33. Objectum tolerantia sunt res adversæ seu dolores, non verò quivis, sed ii præsertim, in quibus plerique succumbunt ex imbecillitate animi & indulgentia.

34. Extrema tolerantia duo sunt. Unum in excessu & dicitur pertinacia. Alterum in defectu & dicitur mollities.

35. Pertinacia vitium est, seu vitiosus affectus res adversas sine ratione honestatis & veritatis, tantum ex obstinatione animi tolerans.

36. Mollities est vitium, quo deficiamus & succumbimus in perferendis doloribus iis, quibus plerique remittuntur & prævalent.

37. Excipiuntur ergo hinc. 1. Naturâ molles, quales sunt foeminae in collatione ad virum. Item pueri, senes, & ægroti, vel etiam qui molles sunt ex vitio gentis.

38. Inde quidam faciunt mollitiem duplicem. Infitam & quaesitam.

39. Infitam est, de qua jam diximus, quæ videlicet natura inest.

40. Quaesita est, quæ nostra voluntate & culpa contrahitur.

Q U Æ S T. I. *Vtrum Deus sit causa efficiens virtutis heroica?*

Negativa videtur probari posse hoc modo. 1. Quia sine vi & concursu heroica virtus in homine non existit. 2. Quia dicitur virtus & habitus. 3. Quia tantum à cæteris habitibus & virtutibus differt secundum magis & minus. Nam aliæ virtutes ex mediocribus; hæc verò ex magis perspicuis & eminentibus actionibus oritur. Atqui magis & minus non variant speciem. Ergo, &c. 4. Quia nullus motus naturalis fieri potest sine concursu naturæ vel causarum naturalium efficientia. Ergo, &c.

Contrarium nos defendimus, idq; non tantum probamus ex definitione virtutis heroicæ, quæ est supra in præceptis, *thes. 5.* posita, verum etiam ab absurdo: sequitur enim aliàs, virtutem heroicam simili ratione cum cæteris communi hominum naturæ competere, & ab omnibus indistinctè hominibus comparari posse.

D. Liebethals / COLLEGIUM ETHICUM

Interim tamen disting. pro determinatione quæstionis inter causam efficientem principalem & subordinatam. Heroicæ virtutis causam efficientem principalem dicimus singularem Dei afflatum & ductum. Subordinatam statüimus duplicem: Internas & Externas. Ad internas referimus, 1. Naturæ bonitatem. 2. rectam educationem & institutionem. 3. Inexplebile illud desiderium, quo plerumque Heroes dicuntur. Ad causas externas referimus subsidia virtutum, ut sunt: Constantia laboris in perficiendo opere, ut opera maxima non trepidè ac trepidè, sed egregia alacritate, magno calore ac mollimine suscipiantur & perficiantur. Sic *Julius Caesar* omnia expediebat *μὴ δ' ἐν ἀναστάσει ἔμεινε*. *Alexander Magnus* volatu totum mundum imperio suo redegit. *Jonathas* in sacris impetu perpetuo. *Samson* abrupto consilio. *Lutherus* maxima laboris constantia veram de Deo doctrinam ex tenebris plus quam cimmeriis revocavit.

Et sic distinctione hæc positâ non erit difficile ad 1. 2. & 4. argumentum respondere. Ad 3. quod attinet. Negamus hanc virtutem heroicam secundum magis & minus à reliquis differre uti demonstratum supra thes. 10. Huc accedit, quòd hæc virtus speciale habeat objectum, ab aliis virtutibus distinctum. Item quòd alium observet circa objectum suum versandi modum; Item quòd habeat aliam causam efficientem principalem. Item tractandi modo & ratione, & quòd ab eo, quòd adire & subire licitum est virtuti heroicæ, arceatur quis à cæteris virtutibus. Ex quibus liquidò apparet, hanc virtutem à cæteris differre non tantum ratione accidentium, verum secundum ipsam *ἰσότητά*, & per consequentiam non secundum magis & minus, sed ipsa specie differre.

QUÆST. II. *Utrum virtus heroica etiam in foeminas cadat?*

Arist. lib. 1. polit. 4. in negativam sententiam inclinat quando dicit, hanc virtutem nulla ratione mulieribus, sed viris tantum competere. Rationem quam affert imprimis, hæc est. Quòd in virtute heroica firmissima requiratur constantia: Atqui foemina est varium atque mutabile animal, & propter temperamentum, quòd habet humidum & viscosum facillè commoveretur & varias sortitur figuras, unde illis inconstantia per omnes horas. Et quia virtus heroica temperamentum heroicum, hoc est, animum magnum, cor excelsum, & corpus spiritus & caloris plenum desiderat, concludit *Aristot.* Virtutem heroicam in foeminas cadere minime posse.

Verum

Verum contrarium verius esse patet exemplo Judith. *Judith. 13.* Jaël, *Judic. 4.* Reginae Amazonum, Penthesilea dictæ. Item Artemisæ Reginae Caria, de qua *Herod. lib. 1.* Et quid pugnamus veteribus, cum recentiora habeamus exempla. Quid dicemus de Elifabeta Regina Angliæ, cujus ingenii aciem & animi magnitudinem quilibet tunc temporis admiratus est. Quid de Margaritha Valdemari III. Danorum Regis filia, quæ Aquino Norwegiæ Rege mortuo duo regna rexit.

Nihilominus tamen foeminarum virtutem heroicam, ab ea, quæ virorum est, non parum; sed quantitate tam continua, quam discreta differre, statuimus. Continua, quoniam ut experientia testatur, virorum virtus heroica tantum præcellit, quantum foemineus sexus infra masculinum subsistit. Discreta, quia in foeminis reperitur multo rarior, quam in viris.

QUEST. III. *An Heroum filii noxa?*

Non minima felicitatis pars est, si cui contingit ex fortibus magnanimis Heroibus procreari & nasci. Nam commune est proverbium, qualis avis, tale ovum, & qualis arbor, talis fructus. Hinc dicimus: *Der Apfel feil nicht vom Stamm.* Unde Poeta egregie:

Fortes creantur fortibus ac bonis.

Est in juvenis, est in equis patrum

Virtus, nec imbecillum feroces

Progenerant aquila columbam.

Idem probatur exemplo Deciorum, Fabiorum, Scipionum, Platonum, &c. in quibus omnibus virtus priorum diu fuit perspicua. Illud ipsum etiam apparet & hodie in multis clarissimis & spectatissimis familiis, in quibus parentum virtus per plurimas successiones quasi hæreditaria facta, & cum semine propagatur. Verum accidit interdum ut hæc regula fallat, id quod exemplis tum sacris tum profanis comprobari potest. Nam filii Jacobi fuerunt mali & quidam eorum pessimi. Sic filii Davidis, Salomonis, &c. Causæ istius rei variæ à variis afferuntur. Nos id ipsum respectu parentum imprimis pravæ educationi & nimia indulgentiæ, & respectu liberorum, multitudini divitiarum & opum adscribimus. Nullum enim ingenium tam bonum & felix est, quod non degeneret citra rectam educationem: Atqui plerumque accidit, ut magni viri, magnis & summis in Republ. sint adstricti negotiis, & sic cum ipsi liberorum institutioni superesse non possint, operâ mercenariâ liberos educari curant, qui dum magis de suo commodo &

proposito, uti non raro accidit, sunt solliciti, quàm de commoda educatione & institutione liberorum, fit, ut prima institutione neglecta postmodum instar ferocientis equi insolescant & raro ad frugem perveniant. Sic plerumque fit, ut Heroum, Magnatumque liberi autoritate & divitiis ad omnis generis libidinem & petulantiam abutantur. Omnes enim in rebus secundis fiunt petulantiores.

QUÆST. IV. *Vtrum virtutes recipiant magis & minus?*

Negant hoc multi. 1. Quod quælibet virtus sit perfectio ipsa. 2. Quod recto non detur rectius. 3. Quod mediocritatis modus duntaxat unus. 4. Quod ea, quæ justam magnitudinem expleverint, extolli non possint, &c.

Verum contrarium verius esse docet experientia. Nam in nobis & aliis quotidie experimur virtutem hanc vel aliam, in uno, vel alio individuo esse perfectiorem. Huc accedit, quod virtutes acquirantur per assuefactionem. Ergo quò major & minor est assuefactio, eò major & minor est virtus.

Interim tamen pro decisione quæstionis distinguimus. 1. inter perfectionem essentialem & accidentalem. 2. inter modum essentialis & modum inhætionis. Ratione essentialis virtutes non recipiunt magis & minus; sed ratione accidentium, & quatenus huic vel illi individuo inhærent, recipiunt magis & minus. Sic enim videmus in hoc vel illo subiecto hanc virtutem esse majorem & minorem. Exempli gratia, temperantia ratione essentialis una est & simplex, nec variata ullis gradibus: interim tamen, quatenus inhæret in hoc vel illo individuo, & major & minor reperitur, ita ut dici possit. Hic vir est temperantior, &c.

QUÆST. V. *Vtrum virtutes rectè dividantur in perfectas & imperfectas?*

Pro quæstionis determinatione distinguendum putamus, inter divisionem, quæ est generis in suas species & quæ est subiecti in sua adjuncta. Divisio generis in suas species, quamvis & ratione generis & ratione formæ perfecta maneat: interim tamen ratione inhætionis, uti præcedente quæstione est demonstratum, alia est imperfectior altera: Atqui divisio nostra, qua virtutes distinguuntur in perfectas, non est generis in suas species: sed tantum subiecti in sua adjuncta, quatenus videlicet in subiecto perfecte vel imperfecte existunt, Ergò, &c.

QUÆST.

EXERCITATIO XIV.

155

QUÆST. VI. *Vtrum virtus heroica exercitatione
acquiratur?*

Pro resolutione hujus quæstionis notandum, virtutem heroi-
cam dupliciter considerari. Uno modo, quatenus a Deo singulari
gratia & donatione infusa. 2. Pro splendore & excellentia humana-
rum virtutum. Priori modo si simpliciter sumatur, non compara-
tur nostris actionibus; Atqui hac ratione in Ethicis non considera-
tur, sed quatenus primaria cum secundariis in ipsa praxi concur-
runt. Atque sic quatenus crebrius in aliquo individuo apparet, ad si-
militudinem aliarum virtutum acquiri dicitur.

QUÆST. VII. *Vtrum virtus heroica in medio
posita?*

Non dari mediocritatem probatur. 1. à definit. quia dicitur om-
nium virtutum complementum & extremum. 2. ab effect. ele-
vat hominem supra humanam conditionem & fortem.

Contra, quod in medio sit posita, probatur. 1. à genere, quia est
virtus. 2. ab objecto, quia versatur circa affectus. Verum notan-
dum h. l. venit, virtutem hanc heroicam extrema habere non ra-
tione termini, & quatenus dicitur extremum & complementum
omnium virtutum, sed ratione virtutis, quatenus quis omnem na-
turam humanam exiit, & instar bestiarum ad hoc vel illud se de-
stissimum factum animum inducit. Et quis negaret virtutem he-
roicam non habere oppositum. Cum non raro videamus quæ-
dam ab hominibus admitti, à quibus aliàs animus naturalis ab-
horret.

DISPUTATIO XV.

DE AMICITIA ET VOLUPTATE.

Resp. *Philippo Eberhardo Kesseler à Sarembshelm.*

T H E S I S I.

ATQUE sic haftenus Deo altissimo adjutore, virtutes morales,
tàm imperfectas, quàm perfectas & perfectissimas contem-
plati sumus, earumque contemplationem ad optatum finem per-
duximus. Quod ergo Deus imposterum bene vertat, cognata &
affinia virtutum, Amicitiam videlicet & Voluptatem, fructus &
comites virtutum indivisibiles subnectemus.

2. Amicitiae vocabulum diversimodè capitur. 1. Pro amicitia
naturalis, quæ nihil est aliud quàm *συμμετέωρα* quædam, qua natu-
rali quodam amore natura quædam copulavit, ut quod graculo as-
sident graculus. Hinc

Nosce

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

2. Pro amicitia civili, quâ animi mutuis amoribus ex quotidiana conversatione devinciuntur. Non de naturali, sed de civili hîc nobis sermo est.
3. Est autem civilis amicitia duplex: Honestâ & Inhonestâ.
4. Inhonestâ est, quam mali fines & mala media conciliant, quo in numero sunt conspirationes furum, latronum, pyratarum, hæreticorum, inter quos nulla unquam coisset amicitia, nisi scelerâ perpetrandi studium adfuisset.
5. Honestâ est, quam jungunt media non illicita & fines non inhonesti.
6. Estque rursus duplex: Perfectâ & Imperfectâ.
7. Imperfectâ dividitur rursus in utilem & jucundam.
8. Utilis est, quâ propter lucrum plures amore conjunguntur.
9. Jucunda, quâ propter voluptatem & jucunditatem quandam inter se amore ac benevolentia conjunguntur.
10. Perfectâ amicitia definitur: Quod sit mutua ac manifesta benevolentia ex virtute enata, ad vitæ honestæ conjunctionem perducens.
11. Principia ergo amicitiae duo sunt: *ἔυνοια* benevolentia & *ἁρμόνοια* concordia.
12. Benevolentia est amor propter virtutem.
13. Estque duplex Theorica & Practica.
14. Theorica benevolentia, qua alicui bona volumus & cupimus.
15. Practica, quâ votum & voluntatem ratificare molimur.
16. Nos potissimum practicam h. l. intellectam volumus. Est enim amicitia benevolentia mutua & manifesta. Ubi ergo non est benevolentia mutua, ibi non est vera amicitia. Sic ubi non est benevolentia manifesta, ibi non est perfectâ amicitia. Theorica ergo benevolentia, quæ est otiosa, nec per officia & beneficia erga alium se declarat, ad amicitiam perfectam non sufficit; sed practica adesse oportet. Hæc tantum est inter paucos & bonos. Inter paucos: Nam impossibile est, ut quis sese totum pluribus simul communitate possit. Inter bonos & honestos, quia fit propter solam amorem ex virtute enatum.
17. Hinc Amicitia vera distinguitur à seditiosa & fortuita.
18. Concordia est mutua animorum consensio, seu solida & constans animorum congruentia & convenientia.

19. Non tamen concordiam vel consensum perpetuò exquisitum hinc intellectum volumus, ut nullus unquam levis etiam dissensus interveniat. Talem enim consensum vix reperies in mundo. Verum sufficit sic consentire, ut dissensus, qui intervenire potest, non in odium prorumpat, aut suspiciones sinistras & similitates pariat. Nam amici nondum seposuerunt omnes infirmitates, & amicorum est errata amici corrigere. Quare & inter amicos interdum & reprehensiones, zelum in errata & querelas dari asserimus.

20. Non ergo accipimus hoc loco concordiam latè, pro quacunque dissensionum negatione; neque pro consensu in re una; ut neque pro consensu indiscretè in re quacunque, sed quæ est è virtute enata & ad vitæ honestatem unice tendit.

21. Cum ergo vera & perfecta amicitia nihil aliud sit, quàm consequens & effectus virtutum: sequitur, non fictum, non fucatum, non seditiosum, non turbulentum, non utilem & jucundum, sed virtuosum duntaxat amorem ad perfectam amicitiam requiri.

22. Porro, cum ad concordiam requiratur: 1. reciprocatio amoris; sequitur, dum amore quodam bruta animalia vel res alias persequimur, item dum divites suum aurum, argentum, possessiones, &c. diligunt, item dum matres suos amplectuntur infantes, &c. non esse amicitiam, sed amorem vel dilectionem nominandam.

23. Secundò cum requiratur ad concordiam æqualitas: sequitur inter inæquales undiquaque perfectam amicitiam consistere non posse. Tollit enim inæqualitas personarum duo maxime necessaria amicitiae requisita: quorum prius est *libertas*, quæ non est libera, ubi Dominus suum servum, Magistratus subditum, senex juvenem, &c. revereri & venerari debet. Alterum est, *plena sui ipsius communicatio*. Nam superior, quæ talis aliquid adhuc ob præminentiam sibi servat, quo supra alterum emineat, & ubi est religionis disparitas, ibi sedes amicitiae, id est cor, non communicatur, sed ut præcipuum reservatur.

24. Propria amicitiae sunt Duratio & Indeterminatio.

25. Duratio duobus modis amicitiae accidit. 1. Respectu generationis. Amicus enim multa indiget probatione. 2. Ratione continuationis. Multa enim incidunt, quæ vim amicitiae inferunt. Unde amicitiam rectius diuturnam, quàm perpetuam dicimus.

26. Indeterminatio minus proprium est amicitiae adjunctum, quæ neque sexus discrimen, neque fortunæ neque ætatum differentia attenditur. Hinc nec minus inter foeminas loqui habet amicitia, quàm inter viros, inter pauperes, quàm divites; inter juves

juvenes, quam senes: imò quousque virtuti via patet, amicitiam vagari dicimus.

27. Effectus amicitiae est bonorum communio. Unde proverbium natum: Amicorum bona communia. Id quod tantum intellectum volumus, non ratione κτήσεως, sed χρήσεως, modò usus determinetur ipsa virtute, quæ non patitur, ut vel contra voluntatem amici, vel in ipsius dedecus vel damnum, &c. moliamur, sed tantum, quantum honestas & amicitiae natura patitur, & bona cum pace possessoris fieri potest, usus horum omnium facile conceditur.

28. Pugnancia amicitiae duorum sunt generum. Quaedam enim directò, quaedam verò obliquè cum amicitia pugnant.

29. Ea quæ directò cum amicitia pugnant, sunt rursus in duplici differentia. Sunt enim quaedam generalia, quaedam specialia.

30. Generale est quodcunque vitium morale, quod conversationem amicam turbat, & ipsam virtutem fontem amicitiae impugnat. Ubi enim causa amicitiae non est, ibi neq; effectus esse potest.

31. Specialia sunt 4. utpote. 1. Inimicitia. 2. Adulatio. 3. Φιλαντία. 4. Duo extrema.

32. Inimicitia est, quæ formaliter tollit amicitiam & negationem ejus essentialiter inducit.

33. Adulatio est vitium, quo quis larvam amicitiae induit & sub specie nominis amicabilis amicitiae amicus salutari vult, cum in finem, ut tutius noceat, & ad nocendum magis idoneum tempus & occasionem nanciscatur.

34. Φιλαντία est vitium, quo quis sibi nimium placet, se tantum amat & alios contemnit. Proinde conversatione sua alios indignos judicat, & majorem se facit, quam ut se communicet alijs.

35. Extrema amicitiae sunt duo: in excessu & dicitur insanus amor. In defectu & dicitur fuga seu averfatio conversationis & hominum.

36. Insanus amor est vitium, quo quis in gratiam amici quaecunque indiscretè tentat & sæpius contra virtutè & honestatem peccat.

37. Nimia averfatio conversationis humanæ est vitium, quo quis contra naturam humanam se in solitudinem abdit & eremitæ vitam vivit.

38. Obliquè cum amicitia pugnant. 1. Interna, ut sunt, defectus aliquis corporis, dementia, insania, cæcitas, surditas. 2. Externa, ut sunt, absentia maxima, locorum distantia, taciturnitas, vitæ permutatio.

39. Vo-

39. Voluptatis vocabulum sumitur in bonam & in malam partem. In malam, quatenus de sola corporea & Epicurea delectatione intelligitur. Nos ergo hic non in malam, sed in bonam partem vocabulum voluptatis intellectum volumus.

40. Est porro sic voluptas. 2. Animi & corporis. Animi voluptas est, quæ ex perfectarum virtutum moralium & intellectualium actionibus per se proficiscitur.

41. Corporis voluptas, quas naturæ necessitati satisfaciens ex rectæ rationis præscripto corpus percipit, est operatio non impedita, promanans ab habitu, qui est secundum naturam. Unde facile apparet, nos hoc loco non agere de voluptate corporis sine omni discrimine, sed tantum de iis, quæ necessariae sunt, & vel ad corporis sustentationem, vel ad propagationem sobolis suscipiuntur, & quæ non excedunt terminum, quem recta ratio præscribit.

QUÆST. I. *Utrum omnes homines amicos habere liceat?*

Quæstionis affirmativam defendunt quidam, hisce fundamentis. 1. Quia non tantum plerosque mutuo diligere jubemur, sed omnes indefinite homines, & quidem non simpliciter, sed sicuti, nosmetipsos, *Roman. 13. vers. 8.* 2. Quia tanta debent esse erga omnes homines, & quidem erga inimicos etiam, officia, ut majora & alia amicis præstare non possimus, *Matth. 5. v. 34.*

Verum cum alia fundamenta longè majoris ponderis præsto sint, quæstionis negativam veriore esse dicimus, quam hisce sequentibus argumentis confirmamus. 1. Quia Deus ipse facit gradus amoris & charitatis, atq; adeo monet, non eodem modo omnes esse diligendos. Plus enim diligenda uxor, quam parentes, plus liberi, quam extranei, *Col. 3. Galat. 6. v. 10.* Sic Christus plus dilexit Joannem, quam cæteros, *Johan. 21. v. 20. Johan. 15. v. 23.* 2. Quia amicus est alter ergo, *ἄλλος ἐφ' ἑαυτὸν*, hoc est, amicus debet se totum quasi alteri communicare & sese totum in alterum effundere; Atqui ut aliquis se omnibus vel pluribus communicet impossibile est. Ergo, &c. 3. ab adjuncto amicitiae proprio. Requirit enim amicitia summum amorem: Atqui summum non potest comperere omnibus vel pluribus. Quamobrem in matrimonio tanquam firmissima amicitia, duæ tantum junguntur personæ, propterea, quod affectio & amor summus in plures dividi nequeat, *c. garrulissimus, ext. de divortio.* Ergo, &c. 4. à subjecto amicitiae. Est enim amicitia tantum inter bonos, qui pauci sunt & rari. 5. à causa conservante & constituyente amicitiam. Siquidem ad ami-

citiam

amicitiam requiritur diuturna conversatio. Atqui cum omnibus simul conversari difficile est. Ergo. Huc accedit, quod omnes homines vel etiam plures velle habere amicos, neque utile, neque jucundum sit. Utile non est, quia omnibus vel pluribus velle largiri, difficile admodum est, opes exhaurit & officia amicorum extenuat. Jucundum non est. Quia magis tedium nobis quam jucunditatem creat. Quamobrem omnes vel etiam plures habere amicos, neque firmum neque optandum esse dicimus.

Interim tamen pro quaestionis determinatione distinguendum putamus inter charitatem & amicitiam Ethicè consideratam. Non enim pugnantia: Amare proximum sicut semetipsum, & unum atque alterum habere amicum. Nam quamvis prompti esse debeamus ad omnes omnino homines indifferenter conservandos & juvandos, amicos tamen nostros imprimis nobis debemus habere commendatissimos.

QUAEST. II. *Utrum amicitia inter pocula contrahi possit?*

Pro negativa sententia pugnant haec argumenta. 1. Quia firma & vera amicitia plures & saepe iteratos conversationis plenae virtutis actus postulat. 2. Quia amicitia non potest contrahi absque praeelectione & ratione. Cum vero mens inter pocula non plane sit libera, sed ut saepius accidit absque ratione, sequitur firmam & veram amicitiam, quae est virtutis effectus, non posse inter pocula contrahi. Interim tamen pro quaestionis determinatione distinguendum esse putamus. 1. Inter locum conversationis & potationis. 2. Inter ebrios & sobrios. Praemissis his distinctionibus dicimus, quamvis unico actu amicitia contrahi nequeat; interim tamen cum in loco conversationis adsit, & virtus & honestas, unico etiam actu & benevolentiam posse concipi, atque adeo verae amicitiae semina spargi & fundamenta ad veram amicitiam contrahendam poni, non est, quod dubitemus. Tota enim die experimus locum conversationis ad amicitiam contrahendam esse aptissimum. Unde & is, qui locum conversationis fugit, ad amicitiam excolendam ineptum esse videmus.

QUAEST. III. *Utrum inter inaequales possit esse firma ac vera amicitia?*

Pares cum paribus facillime congregantur. Cic. in Cat. major. Hinc inter bellam ac tenellam virginem & rigidum senem rarissime firma ac constans existit benevolentia & mutuus amor. Juvenes enim quibus adhuc fervidus est circum praecordia sanguis, ad
laetitia

letitiam & omnis generis delicias procliviores sunt, quàm senes, qui propter onus, quod sustinent, voluptatum sunt olores & ad conversandum minus idonei. Sunt enim senes valde impatientes & nimis queruli. Sic rarissimè accidit, ut inter Principem & subditum: inter Dominum & servum: inter divitem & pauperem: inter homines diversæ religionis firma & undiquaq; perfecta existat amicitia. Nam primò amicus amico se non totum communicat, nec amicum in toto recipit: Non in totum se communicat, quia Princeps, Dominus & magistratus prærogativam & præminentiam, quam habet, non cedit suo subdito & servo, sed eandem præcipuam retinet nec communicat. Sic divites plerumq; animum extollunt & sæpissimè & ferè nunquam non inferioris sortis homines præ se contemnunt. Sic diversæ religionis homines maximum amicitiaæ thesaurum, cor videlicet, amicitiaæ sedem non communicant, sed partem cordis præcipuam sibi reservant, imò nec amicum totum vicissim recipiunt, sed maxima ex parte fugiunt.

Interim tamen, cum ad amicitiam Ethicè consideratam contrahendam & conservandam imprimis requiratur & morum & virtutis æqualitas. Est enim amicitia, de qua h. lagimus, effectum virtutum ad conjunctionem vitæ civilis honeste conservandam. Non nude & simpliciter questionem negandam esse ducimus, sed distinguendum esse putamus. 1. Inter *ἰσότητος* amicitiaæ & gradum amicitiaæ. 2. Inter amicitiam veram, & undiquaq; perfectam. 3. Inter amicitiam Ethicè & Theologicè consideratam. Quibus distinctionibus præsuppositis dicimus, inter æquales ratione & *ἰσότητος* consistere quidem posse amicitiam, sed non in pari gradu, proportionem Arithmetica; verùm cum aliqua remissione, proportionem videlicet Geometrica, ut videlicet contenti simus candoris, morum & virtutis æqualitate, nec efflagitemus æqualitatem personarum ratione conditionis, prærogativæ, præminentiaæ, superioritatis & religionis. Nam personarum æqualitas non tam requiritur ad veram, quàm ad undiquaque perfectam amicitiam. Sic inæqualitatem religionis, non tam respicit Ethicus, quàm Theologus. Aliud quippe est, respectu candoris, virtutis, & morum invicem esse conglutinatos, & aliud est respectu religionis ad invicem esse adstrictos. Hi dicuntur fratres & amici in Christo. Illi respectu virtutis & candoris amici appellantur.

QUÆST. IV. *Vtrum amico reconciliato fidendum?*

Contrarium perhibent sacrae literæ, *Syr. cap. 12. v. 10.* Ne credas inimico tuo in æternum. Nam dubium semper est, annon quædam

simuleatis scintillulae remanserint post reconciliationem. Unde Cic. reconciliationes semper habuit suspectas, in *Orat. pro Milon.* Et ratio est in promptu. Nam naturale est, quod facilius beneficia, quam odiorum sementis intereat. Hinc Antigonus Rex Syriae nimium fidens suis sodalibus reconciliatis, occisus est: Hinc Dion a Calippo jugulatus. Hinc Philippum tutiorem in acie fuisse, quam in suo theatro, scribit *Q. Curtius 4. de gest. Alex.*

Interim tamen pro determinatione quaestionis distinguendum esse putamus, inter levia quaedam errata, & inter perpetrata scelera. Ad errorem enim omnes sumus proclives & ita fert naturae nostrae imbecillitas & quandoq; bonus etiam dormitat Homerus. Quare non omnia acta & facta amici ad rigidum examen vocemus, nec propter unum alterumve naevum amico valedicamus. Aliud vero est, quod si propter scelera ac convitia amicitia dissoluta fuerit; tunc enim reconciliationem vix firmam esse dicimus.

QUAEST. V. *Verum inter absentes amicitia contrahi possit?*

Quamvis magis vigeat & vire scat amicitia inter praesentes, quam inter absentes; non tamen sequitur corporum praesentiam, ad amicitiam tam contrahendam, quam conservandam, omnino esse necessariam. Non enim tam corporum, quam animorum praesentiam ad amicitiam requirimus. Hinc distinguendum esse putamus, inter absentiam omnino *mutam*, quae ne quidem per literarum vel aliorum amicorum internuncium interpolatur, & inter absentiam *vocalem*, quae dictis intermediis utitur, quibus mutuam benevolentiam & concordiam contrahere, & contractam conservare possumus. Ad eundem modum multi Principes, magni & docti viri, amicitiam contrahunt, eandemq; firmiter sartam tectamque servant, uti id ipsa experientia, rerum magistra, satis luculenter ostendit.

QUAEST. VI. *Verum Amicitia sit virtus?*

Ante dictum est, Amicitiam non ipsam virtutem, sed effectum virtutum & morum esse. Nam si virtus esset, non versaretur intra duos amicos, sed ad modum aliarum virtutum & accidentium absolutorum subjectivè consisteret in uno subjecto; sed in distinctis versatur subjectis, uti antea demonstratum. Ergo, &c. Cum ergo amicitia non sit qualitas, sed relatio, non consistit amplius, si alter vel renunciet amicitiam, vel moriatur. Hinc amicus non dicitur, nisi alii cuidam sit amicus. Manet proinde, amicitiam ratione generationis virtuti esse quam simillimam, & ratione constitutionis & conservationis esse effectum virtutum & morum.

QUAEST.

EXERCITATIO XV.

209

QUÆST. VII. *Vtrum amicitia necessario sit invenienda?*

Plato 3. de ll. item Plut. in Thes. & Thucid. lib. 1. nec non alii produnt: majores nostros absque conversatione & benevolentia mutua vixisse. Contrarium autem verius esse, probat Aristot. 8. Eth. c. 3. ubi disputat, amicitiam omnibus hominibus summè esse necessariam, utpote: Infantibus *πρὸς τὴν τροφήν καὶ πανδείαν*: adolescentibus *πρὸς τὰς καλὰς πράξεις*: senibus *πρὸς τὴν φερόμεναι καὶ βοήθειαν*: Divitibus *πρὸς τὴν χρήσιν*: *πρὸς τὴν κατὰ φύσιν*. Et 1. Polit. 2. multis rationibus probat, ipsum naturalem instinctum homines ad amicitiam incitare & impellere. Est namque homo natura animal civile & politicum. Unde ipsi & articulatus sermo & ratio & omnia, quæ ad conversationem & mutuam benevolentiam contrahendam necessaria, divinitus, & à natura concessa & tributa. Quin imò ipsa experientia testatur, amicitiam esse vinculum Reipub. fortissimum, thesaurum certissimum & validum Reipub. munimentum. Hinc Cic. de amic. Solem & mundo tollunt, qui tollunt amicitiam.

Interim tamen distinguendum putamus, inter necessitatem fatalem seu inevitabilem & inter necessitatem ex hypothesi. Amicitiam necessariam esse, imprimis Homini Politico dicimus, non necessitate stoica seu fatali absolute loquendo, sed ex hypothesi, quatenus videlicet cupiat bene, tranquille, pacate in Republ. vivere, eandemq; feliciter gubernare, administrare, & contra varios hominum insultus, sartam tectam defendere ac tueri. Colamus ergò amicitiam propter naturam, propter virtutem, propter vitæ honestæ tranquillitatē & Reipubl. felicitatem, sed cum bonis, consuescamus cum hominibus, sed cum virtute, honestate, candore & fide dignis. Nam à pravorum consortio sanctū amicitiae nomen planè abhorret.

QUÆST. IIX. *Vtrum omnis voluptas fugienda?*

Duo sunt genera voluptatis: Alia est voluptas Epicurea & beluina, quæ non ex præscripto rationis virtutis, sed tantum ex titillatione corporis oritur, qualis fuit voluptas Sardanapali, quæ imperium ab Assyriis transtulit ad Medos. *Iust. lib. 1.* Item Paris & Helena, quæ Regno Trojano exitium intulit, &c. Alia est virtutis adjunctum, quæ ex rebus laudabilibus & præclare gestis oritur, qualis fuit Davidis, viri secundum cor Dei, qui coram Domino totis viribus tripudiavit. Illam ergò cane pejus & angue odisse debemus. Hanc verò, quæ cum honestate conjuncta est, omninò commendare, amare & venerari debemus. Hinc olim rebus præclare gestis festi-

festivitates & publica spectacula sunt introducta. Hinc Judæi aliquot diebus lætati sunt tempore dedicationis templi. Hinc hodiè laudabiles & concessas voluptates ex virtuosis & concessis actibus enatas, omninò commendamus, iisq; nos in omni pietate & modestia exhilaramus & recreamus, *c. cum decoram. de vit. & honest. cler. c. semel Christus, sr. de consecr. dist. 2. & c. quæris de consecr. dist. 4.*

DISPUTATIO ULTIMA.

DE VIRTUTIBUS INTELLECTUALIBUS

Intelligentia, scientia, sapientia, Arte & Prudentia.

Resp. Ernesto Sprengero, Licha-Wetteravo.

T H E S I S I.

Virtutes dividuntur in morales & intellectuales, quarum hæ ipsam mentem; illæ verò voluntatem & affectus sive appetitus hominis moderantur & informant. Cum ergò huc usq; dictum sit de virtute morali; superest, ut de virtutib. intellectualib. dicamus.

2. Vox intellectualis hoc loco non pro discursu, quatenus alteri, tantum parti animi rationalis λογιστικῆ videlicet respondet; quatenus à vñs descendit & cognitionem generaliter significat, sumitur.

3. Est autem virtus intellectualis, habitus animi rationalis, quæ mens nostra affirmando vel negando verum enunciat.

4. Subiectum virtutum moralium est ea pars animi, quæ rationalis appellatur. Finis ut & objectum hujus virtutis est veritas, quæ mens seu intellectus investigat duobus modis. 1. *Contemplando*, unde veritas contemplativa, quæ à contemplatione sic appellatur. 2. *Transferendo* ad actionem seu usum, unde veritas practica dicitur. Tria enim sunt in animo humano, unde omnis cognitio & actio proficiscitur: *mens seu ratio, sensus & appetitus seu voluntas*. Sed cū hoc discrimine, quod mens & sensus cognitioni, appetitus seu voluntas actioni inserviat. Unde differentia inter rationem & appetitū seu voluntatem facile apparet. Differentia inter sensum & mentem hæc est præcipua, quod ille circa singularia versetur: mens verò universalis consideret, earumque veras causas ac formas scrutetur.

5. Virtutes intellectuales sunt. 5. Intelligentia, Scientia, Sapientia, Ars & Prudentia.

6. Dividuntur ratione subiecti in speculativas & practicas. Aliæ enim sunt in illa parte animæ, quæ ἐπιστημονικῆ appellatur, utpote sunt: Scientia, sapientia & intelligentia, quæ circa necessaria occupatæ. Aliæ sunt in illa parte animæ, quæ λογιστικῆ dicitur, ut sunt: Ars & prudentia, quæ contingencia respiciunt. 7. Hinc

EXERCITATIO ULTIMA.

7. Hinc definiuntur virtutes intellectuales speculativæ, quod res necessarias cognitionis gratiâ investigant.

8. Objectum earum virtutum sunt res necessariæ, arbitrio humano non subiectæ. Finis in nuda cognitione subsistit.

9. Estque virtus speculativa rursus. 2. Simplex vel Composita.

10. Virtus speculativa simplex est, quæ ex simplici habitu res cognoscit, utpote sunt: Intelligentia & scientia. Dicuntur simplices, quod ex simplici habitu proficiantur.

11. Intelligentia est habitus, quo principia scientiarum & demonstrationum probe cognoscimus, *Aristot. 6. Ethic. 6.*

12. Objectum ergo intelligentiæ sunt principia & axiomata artium & scientiarum, cujuscumodi sunt: Omnis causa est suo effectui prior: omne totum est majus sua parte: æqualia æqualibus addita, efficiuntur æqualia: Item, honeste vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere: Deus est colendus.

13. Extrema intelligentiæ sunt duo: *In excessu* dicitur nimia *æneidæ* scrupulositas, si quis instar Anaxagoræ nivem albam esse negaret, & studio singularitatis communia axiomata & principia scientiarum & artium communi Philosophantium choro approbata, in dubium vocaret. *In defectu* est crassa & affectata ignorantia, quando quis ea, quæ mediocribus ingeniis naturaliter sunt indaganda, negligit, & instar Dromonis, ea tantum, quæ sensibus sunt obvia spectat.

14. Scientia est habitus demonstrativus ex necessariis & primis principiis seu causis ortus. Vel est habitus demonstrativus, quo conclusiones necessarias per primas causas, easque immediatas atque priores ipsis conclusionibus, cognoscimus.

15. Objectum scientiæ est τὸ ἐπισκευτόν scibile, quod est rerum tantum necessariarum, æternarum, & quæ aliter sese habere non possunt, comparaturque demonstratione, cujus propositiones primæ & immediatæ, priores, notiores & causæ conclusionis sunt oportet, *Aristot. 1. post analyt. cap. 2.*

16. Extremum scientiæ in excessu est nimia subtilitas, si quis omnium rerum causas etiam abstrusissimas indagare cupit. Id quod impossibile. Nam ad cognitionem omnium causarum acies nostræ mētis imbecillis est. Unde humanæ sapientiæ pars est, quædam æquo animo enumerare & nescire, quam singula cum vitio indagare velle.

17. In defectu extremum scientiæ est error, qui est falsa mentis persuasio, quando quis putat, se aliquid scire, quod tamen revera nescit. Et sic error sub Specie veritatis in ipsum cor se infinat & firmiter hæret.

17. Sapientia est virtus intellectualis seu habitus mentis ex scientia & intelligentia compositus, qui rerum honestarum cognitionem exactissimam sibi vindicat. Velut Cic. 4. quest. Tusc. cap. 4. illam definit: Est humanarum & divinarum rerum scientia.
18. Objectum sapientiae sunt res omnes divinae & admirabiles, earumque causae, quae in hominis cognitionem cadere possunt.
19. Extrema sapientiae duo sunt: In excessu dicitur nimia sapientiae persuasio, quando quis in omnibus etiam difficillimis rebus Aristarchum agere cupit.
20. In defectu est nimia omnium rerum ignorantia, quando quis in rebus necessariis, quid & quomodo sit agendum, ignorat.
21. Virtus intellectualis practica est, quae res contingentes propter usum aliquem practicum, inquirat.
22. Ars est habitus intellectualis practicus, cum recta ratione effectivus, hoc est, opus ex se producat.
23. Artis vocabulum hoc loco non in genere pro quacunque peritia sumitur, uti neque pro praceptorum collectione ex mentis habitu profecta, hac enim ratione non tam pro ipsa arte, quam pro artis in mente artificis imagine sumitur; h. l. vocabulum artis ipsum mentis habitum denotat, qua ratione etiam definitur ab Arist. 6. Eth. 4. & 1. 3. Eudem. 4. quod sit mentis habitus cum recta ratione effectivus.
24. Objectum artis sunt τὰ ποιητὰ, hoc est, illa, ex quibus tanquam materia aliquid effici vel opus aliquod produci potest.
25. In hoc distinguitur Ars à prudentia. Nam haec circa transeuntes, illa vero circa immanentes actiones versatur. Unde & prudentia pro fine agnoscit πρᾶξι, hoc est, actionem, ars vero ποίησιν effectivum seu opus.
26. Effectio autem illa est duplex: materialis & immaterialis. Materialis est, quae ad materiam externam corporea instrumenta requirit. Immaterialis est quae ad materiam externam in producendo opere non organis corporeis, sed incorporeis utitur, qualis est effectio seu collectio praceptorum, &c. quo posteriore modo Grammatica, Rhetorica, Logica, &c. recte artes appellantur.
27. Officium Artificis consistit in tribus. 1. Ut antequam opus aggrediatur, recte perpendat, quomodo debeat ex data materia opus artificiosum producere. 2. Ut ex praescripto artis operetur, talemque formam materiae imponat, qualem ars requirit. 3. Ut opus ipsum producat.

EXERCITATIO ULTIMA. 167

29. Unde arti opponitur *ἀτεχνία*, quando quis sine ratione & experientia opus aliquod aggreditur.

30. Prudentia est virtus intellectualis, seu habitus agendi ea, quæ homini sunt bona & mala.

31. Objectum prudentiæ sunt *τὰ πρᾶκτὰ*, hoc est, omnia ea, quæ homini ad benè agendum sunt necessaria.

32. Ut ergo quis sciat, quid ad benè agendum sit necessarium observatione diuturna & singularium rerum experientiâ opus est.

33. Estque 2. communis vel privata. Communis est prudentia prospiciendi & consulendi ea, quæ sunt utilia aliis.

34. Estque rursus 2. Politica vel Oeconomica. Politica est prudentia communis rectè consultandi de iis, quæ Reipubl. sunt necessaria. Hinc oritur prudentia Legislatoria & practica. Legislatoria prudentia in rectè ferendis & interpretandis legibus versatur. Practica in administrandis Reipubl. negotiis consistit.

35. Oeconomica prudentia est prudentia communis rectè consulendi & prospiciendi de iis, quæ familiæ sunt necessaria.

36. Privata prudentia est, quâ nobis ipsis nostrisque commodis & utilitatibus rectè prospicimus. Et talis est prudentia, de qua Seneca inquit: Quod prudens animus debeat vitæ actiones tribus temporibus accuratè dispensare: Præsentia ordinare, futura providere & præterita recordari. Nam, qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit, & qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. *Idem Seneca.*

QUÆST. I. *Utrum de virtutibus intellectualibus in Ethicis agendum?*

Negat id ipsum Keckerm. in *system. Ethic. cap. 1. pag. 96. §. 70.* hac imprimis ratione quòd Ethica sit disciplina practica, in qua non heterogenea sed homogenea debent tractari. Atqui virtutes intellectuales sunt, ut plurimum theoreticæ. Ergo, &c. Verùm quod optimo jure in Ethicis de virtutibus intellectualibus agatur, probamus hac ratione. 1. Quia virtutes intellectuales faciunt ad summum hominis bonum, quod non tantum in virtutibus moralibus, sed etiam in intellectualibus requiritur. 2. Quia Ethica vult mederi omni *ἀταξία* enormitati, imbecillitati & defectui humano: Atqui *ἀταξία* non tantum est in voluntate, sed etiam in intellectu humano. Ergo ad utrumque perficiendum est occupata. Et per consequens non tantum de virtutibus moralibus, sed etiam intellectualibus in Ethicis tradendum. 3. Huc accedit, quod prudentia, quæ inter intel-

intellectuales non potest, virtutum omnium moralium reatrix sit, sine qua virtutes morales munere suo neququam rectè defungi possunt. Unde etiam Cardinalis virtus dicitur. Non ergo nobis obstat Keckerm. argumentum. Nam virtutes intellectuales, quatenus animum perficiunt, eundemque ad perfectionem dirigunt, non sunt heterogeneae in Ethicis, sed essentialis Ethicæ partes. Interim tamen distinguendum esse putamus inter planariam & absolutam harum tractationem & cognitionem: & in quantum faciunt ad felicitatis adeptionem, & animi ad summum bonum acquirendum perfectionem.


QUÆST. ULT. *Vtrum is, qui præcepta Ethica novit, statim sit Ethicus nominandus?*


Quam Aristot. lib. 10. cap. 1. discutit quæstionem, nos quoque duobus verbis faciemus plenam, ultimam postmodum huic tractatui imposituri manum. Sub initium nostrarum exercitationum Ethicarum dictum est, Ethicæ finem esse $\pi\rho\alpha\acute{\xi}\iota\upsilon$ non $\gamma\upsilon\omega\sigma\iota\upsilon$, inde satis constare potest, non sufficere alicui habere præcepta Ethica cognita, si non eadem ad usum proprium transferat & exerceat. Quicumque Ethicus vult salvari, necesse est, hæc quæ in Ethicis audivit, legit & disputavit, vivis exemplis comprobet, alias aureo hoc virtutum theatro ejiciendus est, & timidis æquiparandus militibus, qui licet sciant sibi pugnandum esse, interim tamen pugnare nolunt, re ipsa comprobant, quod intus sentiunt: sic etiam ii, qui præcepta Ethica norunt, dum juxta eadem non vivunt, re ipsa manifestant, in quantum ipsorum intellectus & voluntas a virtutibus abhorret.

His ita breviter positis thematibus & quæstionibus decisis, jam finem facimus, & si id, quod intendimus, assecuti sumus, est quod gaudeamus & lætemur. Faxit Deus ut has virtutes non solum animo circumferamus, sed etiam factis exprimamus, totamque vitam nostram erga nosmetipsos & alios juxta eas instituamus, ad nominis divini gloriam, Reipubl. splendorem, proximi emolumentum, & proprium uniuscujusque factum,

A M E N.

F I N I S.





ULB Halle
006 828 426


3



VD 17

7





COLLEGIUM
HICUM,

IN QUO

MMO HOMINIS BONO,
PIIS ACTIONUM HUMANA-
MENTE AC VOLUNTATE,
DE AFFECTIBUS SEU
APPETITIBUS:

UT ET

UTIBUS INTELLECTUALI-
ORALIBUS TAM IMPERECTIS,
ectis & perfectissimis, unâ cum virtutum
effectis, amicitia v. scilicet & voluptate,
methodicè & perspicuè tractatur.

DE QUIBUS

ESIDE ET AUCTORE

ANO Siebenthal / MARCHICO,
IN INCLYTA ACADEMIA
NA, QUONDAM ELOQUENTIAE
PROFESSORE.

*Præstantissimi Viri - Juvenes, quorum
singulis Disputationibus præfixa sunt
disputarunt.*

runt DUE Disputationes de PRIVILEGIIS
STUDIOSORUM, Eiusdem
AUTHORIS.

cessoris, Editio ultima, quæ de jure præfe-
rtiva verò illa, omni jure rejicienda.

OS * * SO

ISSÆ HASSORVM,
bus JOSEPHI DIETERICI HAMPFELII,
Academiae Typogr. Ordinarii.

M. DC. LV.